PHRASES LINGVÆ LATINÆ AB ALDO MANVTIO P. F. CONSCRIPTAE; NVNC PRIMVM IN ordinem Abecedarium adductæ, & in Anglicum sermonem conuersæ.

Accessit huc index dictionum Anglicarum, cuius ope quilibet hoc libello quàm commodissimè vti poterit.



LONDINI,
Ex officina Thomæ Vautrollerij.
M. D. LXXIX.

7472

Mannizio (C.)

Aldi M. Phrases Latinæ 8°
Vautrollieri Londini 1579
Of this rare book I have noticed scarce any copy except that sold at Inglis's sale for 3.1.0, & one or two more —
It is dedicated by Vautrollier to the famous Robert Cecil then 16 years old.

ROBERTO CAECILIO GVLIELMI F.

THOMAS VAVTROLLERIVS S. P. D.



Vlla sanè res est, Roberte Cæcili, puer clarissime, quæ homines æquè in altissimo dignitatis gradu locare possit atque eloquentia, reiq; militaris scientia: siquidem hac non solùm vim hostium, eorumq; impetus, atque iniurias propulsamus, verùm etiam imperij nostri fines, longè, lateq; propagamus: illa verò hominum animos, voluntatesq; nobis conciliamus: eosq; aut in officio continemus, aut ad præclara facinora, remque publicam administrandam adhortamur, atque incitamus. Sæpe verò cogitanti mihi vtra harum sit præstantior, magisq; hominum generi necessaria, hæret ferè animus: nec facilè quid de hac re iudicandum sit, scio. Veruntamen quotiescunque in eam cogitationem venio (venio autem quàm sæpissime) toties occurrit mihi illud inter cætera: illos, videlicet, quàm proximè accedere ad naturam Deorum immortalium, qui quidem non vi, non ferro, atque armis, sed voce tantùm

hominum animos quò tandem volunt flectunt: idq; adeo, vt, qui illud præstare possunt, mea quidem sententia, non homines, sed Dij potius è cœlo delapsi esse videantur. Quæ res cùm ita sese habeat, qua scientia id consequi possumus, hanc, amabo, quam tandem, nisi omnium principem esse dicemus? Itaque, vel hanc solùm ob causam tantum mihi eloquentissimi oratores optimis fortissimisq. imperatoribus præstare videntur, quantum ij qui togati Remp. suo consilio, auctoritateq; conseruant, præstant ijs, qui communem omnium salutem, bellandi cupiditate, sæpius vt fit, in extremum discrimen adducunt. Accedit huc, complureis singulis ferè seculis extitisse rei militaris peritissimos, præstantissimosq; imperatores, quorum res gestæ præclaris, ijsq; æternis literarum monumentis consignatæ & celebratæ conspiciuntur. Eloquentem verò (multorum pace dixerim) ecquem, obsecro, præter Hyperidem, Demosthenem, atque alios perpaucos apud Græcos reperias: apud Romanos, C. Cassium, M. Antonium, Hortensium, M. Tullium Ciceronem? Equidem non eo inficias permultos eosq; oratores haud contemnendos in Græcia, Italia, ac plerisq; alijs in locis & olim extitisse, atque hodierno die extare. Attamen si quis secum

cum in animo suo paulò diligentius quid eloquẽtia sit, considerabit: illos non tam eloquentes, quã disertos iudicabit appellari oportere: multóq; pauciores oratores, quàm imperatores semper reperiri animaduertet. Atque hæc quidem eloquentium hominum paucitas, verè vt quod sentio, dicam, effecit etiam, vt, non solùm eloquentiam non gloriæ militari cedere, verùm etiam eam suo iure antecellere animum inducam. Quarum enim rerum non ita magna est copia, ea cæteris quodammodo præstare creduntur. Sicut autem per quos ad id quod volumus, peruenimus, non fermè minor habenda est gratia, quàm ijs, qui nobis faciunt benignè: sic etiam non minoris fieri debent ea instrumenta, sine quibus cognitionem eius scientiæ, cui dediti sumus, nullo modo consequi possumus, quàm ipsa scientia. quid enim absque illis tandem agas? Porrò, nemo, opinor, est qui quenquam existimet, vnquam oratorem fore bonum, qui non ex Latinis præcipuè fontibus hauriat eloquentiæ præcepta. nam in ea lingua omnis orationis splendor, ac dignitas continetur. Ne multa: vnus Cicero totius eloquẽtiæ parens inter omnes mortales, tantam nobis dicendi copiam suppeditare potest, quantam nunquam auderemus optare. adeò vt, nostra hac ætate ij

non parũ dicendi gloria præstare existimentur, in quibus tanta eloquẽtia, dicendiq́ facultatis: qua ille praditus fuit, vel aliquod veluti vestigium apparet. Quapropter siue dicere, siue scribere tibi propositũ sit, hunc tibi proponas, quem ducẽ sequare, necesse est. Isthuc autem qui obsecro præstari potest, nisi in politissimæ illius linguæ cognitione versatus sis: qua lingua quicquid præclarissimi illius viri ad nostram vsq; ætatẽ peruenit, conscriptum est: & in qua ille admirabili quadam ingenij magnitudine omnibus antecelluit? Prætermitto infinita alia, quibus linguæ huius cognitionem non vtilem solùm, verùm etiam omnino necessariam esse apertè demonstrare possem. hominem enim omnino arbitror esse neminem cui dubium sit, quin eius linguæ ignari, & à rebus bellicis, & ab Reipub. gubernaculis plerunque repellantur. Id quod etsi permultis persuasum est, atque ideo ad huius linguæ studia animum adiungunt: nihilominus tamen infinitos video, qui præpropera quadam festinatione sibi magis obsunt, quàm prosunt. Nam interim dum sermonis elegantiam sibi comparare credunt, linguæ puritatem, in quam primùm toto pectore incumbere debebant, negligunt: & statim ad ea quænon nisi à doctis disci, percipique possunt, conuolant,

lant: ideóque fit, vt, non modò non ornatè, sed vt ne purè quidem vnquam scribant. Quæ res viros aliquot bene doctos patrum nostrorum memoria impulit, vt de ratione ac methodo qua quis linguæ latinæ cognitionem capere facilè posset, libros conscriberent haud contemnendos. maximisq; digni sunt laudibus ij qui ad hanc rē suis lucubrationibus, ac vigilijs aliquid adiumenti afferunt, vt alijs viam, quam sequantur, monstrent. inter quos Aldus Manutius magni illius ac celeberrimi Pauli filius, non immeritò, mea quidem sententia, connumerandus est. Nam quæ ipse sibi non sine magna industriæ laude in eo studiorū genere collegerat, alijs pro sua humanitate, impertijt. Eæ sunt phrases sine modi latinè loquendi, scribendiq;. Quem ego libellum quū viderem doctissimorum hominum iudicio summoperè cōmendari: isque tandem in manus venisset meas, cœpi mecum ita cogitare: Quid si eos qui studijs humanitatis sunt dediti aliqua ratione iuuare possem? quid præclarius? quid homine ingenioso dignius? quid denique laudabilius? Quæ cogitatio quum versaretur in animo meo, excitaui ipse me, operæq; putaui fore pretium, si illas, quas dixi, phrases, non solùm vt ab Aldo collectæ sunt, typis excuderem meis, sed aliquid præterea addendum

curarem, quo studijs eorum adolescentum qui linguæ latinæ desiderio tenentur, consulerem. atque ideo ea, in ordinem alphabeticũ primum vt adducerentur, ac postea è Latino in Britannicum sermonem conuerterentur, effeci: easq́, Roberte clarissime, iam ad te mitto. tu quippe mihi inter ceteros visus es dignus, cui quidẽ hoc munusculũ potissimùm deferrem: idque ob singulares istas animi dotes, quas tibi natura elargita est. Ipse enim adducor in eam spem, vt, te patris tui viri illius insignis, ac propè singularis quam simillimum fore credam: totúmque adeò hoc regnum eos tandem ex te percepturum esse fructus, quos, cùm tempus erit, feres. De eo enim homines coniecturam faciunt, quòd ex ijs natus es parentibus, quorum ingenium admirabile, morum facilitatem eximiam, virtutem denique incredibilem nemo non admiratur. Sed aliud præterea est, ex quo iam hinc ab ipsa pueritia qualis quantúsque futurus sis haud mehercle obscurè colligi potest. tua enim isthæc ætatula ijs abundè ornata ac perpolita est omnibus; quæ non modò puerum, verùm etiam adolescentem ingenuum, nobilissimóque prognatum genere scire æquum est. nemini enim tuorum æqualium, canendo, fidibúsque vtendo tuo iure cedis. Præterea nemo te modestior, aut

suauior,

ſuauior. adeò vt neminē adhuc viderim cui quidem ſis notus (te autē ecquis non nouit?) qui te non optimo florentiſſimi huius regni fato natum eſſe dicat. Sed hæc quæ commemoraui, omnia alicui forſan videri poterunt leuiora (quamuis in puero quis ea non fateatur eſſe maxima ac planè admirabilia?) ideo aliud longè maius eloquar. Nam tu pro liberali iſthoc ingenio ita ad eloquentiæ ſtudia te contuliſti, iiſque ita delectaris, vt, ſpes maxima ſit, fore, vt fœliciſſima hæc Britannia Italiæ, quæ de ſuo Cicerone gloriatur, nequaquam inuideat. Quare tua ſingulari humanitate, præclara iſthac indole, tuiſque potiſſimùm ſtudijs me nihil alienum facturum eſſe arbitratus ſum, ſi ea, qua re poſſem, iuuarem, tibìque haſce phraſes offerrem. Accipe igitur, Roberte præſtantiſſime, libellum hunc, qui iam in tuo nomine apparet, perpetuum teſtimonium amoris, obſeruantiæque in te meæ. Atque interim, perge vt facis, & in hoc ſtudium eloquentiæ, in quo es, incumbe: vt, & tibi, tuiſque honori, & amicis tuis, qui in te vnum oculos coniectos habent, Reique publicæ emolumento eſſe poſſis. Londino, Calend. Iulij. M. D. LXXIII.

ELEGANTES COPIOSÆQVE LATINÆ LINGVÆ PHRASES, AB Aldo Manutio Pauli filio conſcriptæ.

Abſque mora quæ mãdaſti, perficiam.

I ſhall doo your commaundement out of hande.



COnfeſtim, è veſtigio, quamprimum, ſtatim, actutum, primo quoque tempore, adeo, ſine mora, ſine cunctatione, nulla facta mora, nulla interpoſita mora, omni prorſus abiecta mora, ne minimo quidem ſpatio temporis interiecto, exequar tua mandata, quod mãdaſti perficiam, tuis mãdatis parebo, effectum dabo quod mandaſti, præſtabo quod à te mandatum eſt. Vide, Moram auerte, Moram adhibe, Moram trahere:

Ab hac culpa vacuus.

I am innocent, or cleare and giltleſſe.

Hanc ego nunquam attigi culpam: hoc me nunquam crimine contaminaui, inquinaui, infeci, pollui: hanc nunquam ſubiui culpam: hæc me nunquam culpa polluit, labefecit: huius criminis, flagitij, ſceleris, vitij labe, macula infectus nunquam ſum: vacaui ſemper iſta culpa. Vide, Culpa vacuus.

Accuſor

Accuſor.

I am accuſed, or blamed.

Vitio mihi dant, vitio vertunt, fraudi tribuunt, hoc in me conferunt: hoc mihi adſcribunt, hac me culpa condemnant, hanc in me culpam cōferunt: huius mihi culpæ notam inurunt: hoc me nomine accuſant.

Acerrimus aduerſarius.

A most deadly foe, a heauie friende, a cancred ennemy.

Aduerſarium nimis grauem, nimis acrem, infenſum, acerbum, vehementem, crudelem habemus: nimis acerbus, nimis aduerſus, nimium grauis atque infenſus nobis es: oppugnas nos quàm potes acerrimè, & grauiſſimè: nullam aduerſus nos iniuriam prætermittis: nulla nos iniuria, nulla re non laceſſis: tuis contra nos viribus vteris: tuam in nos vim confers: omnia conaris, nihil non agis, moues, tentas, experiris, machinaris ad perniciem noſtram: aduerſario te vtimur nimis acerbo, nimis infenſo: agis contra nos, pugnas aduerſus nos, irruis in nos, quo potes impetu, impetu quàm potes maximo, eo impetu, qui poteſt eſſe maximus. Vide Atrox hoſtis.

A conſuetudine digrediens.

To ſwarue altogether from his olde faſhions: To become a newe man.

Mirari ſatis non poſſum, cur à tua conſuetudine tam longè diſceſſeris, receſſeris, tam valdè deſciueris, te remoueris, te abduxeris: cur alius planè factus ſis, cur à teipſo diſceſſeris, cur te tui tam diſſimilem præ-

beas,cur te tui similē nō pręstes,cur,qui hactenus fuisti,cū te nō pręstes. Adduci nō possum, vt,te à tua cōsuetudine tam valde,tam longè discessisse existimem.

Ad Ciceronem me contuli.

I haue giuen my selfe to Cicero: Tully is my whole studie.

Vni Cicęroni meum studium dicaui, ad vnum Ciceronem meum operam contuli:meum in vno Cicerone studium pono, consumo, colloco : vni Ciceroni operam do : vnus me Cicero delectat,capit, tenet : vnus mihi placet : vnius animū lectio pascit : vni meam operam, mea studia, meas vigilias dedi, dedidi, tradidi,addixi,perpetuo dicatas esse volo.

Ad finem orationis non peruenire.

To know no waie out of his tale.

Quemadmodum exitum expediam institutæ orationis, non reperio : non video quî institutæ orationi finem imponere, quo fine institutam orationem claudere,absoluere,perficere possim.

Ad finem optatum rem perducere.

To haue successe as harte coulde wishe, or as I would desire.

Puto fore, vt, rem ex sententia geram, fœliciter, prosperè, ex animi sententia, vt animus fert, expediam, conficiam : ad eum,quem volo, exitum perducam : fœlici exitu concludam : efficiam,opinor,vt res optimè succedat : vt exitum res habeat,qualem optamus:ne res,contrà quàm volumus, succedat : ne quid aduersi contingat in re:ne sit infaustus,aduersus, alienus

nus à nostris voluntatibus, alius atque volumus, exitus rei, euentus rei, rei finis ac terminus: spero futurum, vt, in hac re meis optatis fortuna respondeat, cum animo meo fortuna consentiat, ab animo meo fortuna minimè dissentiat, nihil aduersi fortuna obijciat, nequaquam fortuna repugnet, resistat, obsistat, aduersetur, sese opponat, suam vim obijciat, impedimentum vllum inijciat, occurrat, obuiam eat: futurum existimo, vt, in hoc secunda, facili, prospera, propitia, perbenigna fortuna vtamur. Vide, Res adducta in optimum statum.

Ad iram incitatus, alienus ab iracũdia.

Angred, chafed, stirred, or prouoked to anger, which is not soone angry, or is by nature milde.

Stomachum mihi facis: bilem commoues, inducis me, impellis, incitas ad iram, facis vt ira commouear, afficiar, corripiar, vt excandescam, vt ira flagrem: etsi nequaquam iracundus homo natura sum, non procliuis, pronus, propensus, inclinatus ad iram, non iræ deditus, non is, qui ad iram facilè labar: sum alienus, longè remotus ab ira: quanquam iuris in me parum habet ira, minimè mihi dominatur ira, non admodum ad iram propendeo, inclino, ab ira longè absum.

Adiungam me tibi.

I will be thy mate fellow in all fortunes, or I will goe with you through thicke and thinne.

In omni te fortuna comitabor: tibi comes ero: me

tibi comitem adiungam, assiduum me comitem habebis: hærebo tibi, hærebo lateri tuo: à latere tuo non discedam, non diuellar, semper, nunquam non, in omni tempore ac loco, assiduè, assiduus tecum ero: nunquam abs te seiungar, digrediar, recedam. Vide Comes perpetuus.

Ad Musas redeas.

Returne to your studie.

Vellem te ad mansuetiores Musas referres: vellem intermissa poëticæ studia repeteres, redires in gratiam cum Musis. Vide Ad studia redire.

Adolescens infirma valetudine.

A sickly yonge man.

Cicero in adolescentia sua, cùm adolescens esset, cùm adolescentiæ annos nondum excessisset, egressus esset; valetudine erat, valetudine vtebatur infirma, parùm firma, minimè firma, haud satis firma, nequaquam firma, paulò infirmiore, imbecilla, non optima, non robusta, satis affecta, satis ad morbos propensa: non rectè se habebat Cicero in adolescẽtia, non omninò valebat, minùs bellè habebat, se habebat, non optimè valebat, valetudine erat infirmior, viribus parùm firmis, corpore non satis firmo vtebatur: valetudinis, firmitudinis, firmitatis, virium, roboris adolescenti Ciceroni minus erat, quàm satis esset: parùm validæ vires erant: infirmior erat, imbecillior, tenui, incommoda, vitiosa valetudine; parùm validus erat, infirmè valebat; valetudine erat imbecillior, valetudinis vitio laborabat, valetudinarius erat Cicero.

Ad omnia aptus.

Fitte

Fitte for all things, a fine fellowe.

Aptissimus est ad omnes res: nemo est illo commodior, aut aptior: in omni re, in omni iudicio elegantissimus est, egregio iudicio perpolitus, summa est in illo ingenij suauitas, & elegantia: nihil agit non aptè, non commodè, non eleganter, non lautè, non venustè, non lepidè, non egregiè: lepôres habet elegantiam, lautitiam, venustatem in omni re: quicquid agit, cum lepore agit, cum elegātia, sic, vt gratiam ab omnibus ineat, vt aptior, accommodatior, idoneus magis videatur esse nemo: propriè factus à natura videtur ad omnes res, natus ad omnia, appositum quiddam possidet ad omnes res. Vide, Natura ad omnia aptus.

Ad pauperiem redactus.

Brought, or driuen to extreme pouertie, Next to, or harde at beggers doore.

In eum locum deductus est, eò deuenit, eò redactus est miseriarum, in eas coniectus est angustias: eò redactæ sunt fortunæ suæ, eò est à fortuna deiectus, detrusus, deturbatus, eò cecidit: vt vnde viueret non haberet, vt ei ad victum necessaria minimè suppeterent, vt inopia premeretur earum rerum, sine quibus vix, aut ne vix quidem hominum vita sustentatur, vt ea desideraret, ea requireret, quæ viuendi necessitas postulat atque exigit, vt ijs rebus destitueretur, careret, ab ijs esset rebus imparatus, earum rerum esset inops, ab ijs rebus inops, egens, ea illi deessent, ea illum deficerent, earum rerum inopia laboraret, sine quibus ægrè viuitur, vel potius nullo modo viuitur.

Ad studia redire.

To become a ſtudent agayne.

Ad noſtra me ſtudia referam literarum: ſtudia repetam: reddam ſtudijs operas intermiſſas: ad ſtudiorum conſuetudinem, atque vſum redibo: priſtina ſtudia reuocabo: rurſus ad ſtudia me conferam. Vide, Ad Muſas redeas.

Aduerſa fortuna contentus.

To liue contentedly in aduerſitie, patient, or quiet to ſuſtayne troubles, or ill chaunce.

Vehementer, acriter, acerbè, grauiter me oppugnat, vexat exagitat, vrget, premit, aduerſa mihi eſt, infeſta eſt, infenſa eſt, iniqua, inimica fortuna: ego tamē ad humana omnia, ad eos omnes caſus, qui humanæ vitæ impendent, quibus humana vita ſubiecta eſt, propoſita eſt, expoſita eſt, patet, fortis ſum: contra fortunam paratus, armatus, firmus, validus, firmiſſimis prę- ſidijs conſcientiæ munitus, res humanas præclare cōtemno, negligo, deſpicio, aſpernor: valet animus meus, firmus eſt, ſeipſo nititur, ſua in ſeipſo præſidia ponit, à ſeipſo præſidium omne petit, aduerſus fortunæ vim, impetum, conatus, iniurias, tela omnia: minimū res humanæ me mouent, afficiunt, perturbant: minimùm laboro de rebus humanis: ſuſque, deque res humanas facio, humanis caſibus animi præſtantia, virtute, fortitudine reſiſto: fortunæ conatibus obuiam eo, occurro, obijcio me, oppono me fortiter, atq; acriter: fretus conſcientia fortunam ſperno: mea me contra fortunam conſcientia fortem facit, confirmat, auget viribus, validiorem reddit, mihi animos addit, virtutem, vires, robur, fortitudinem, firmitatem.

Aduerſa

Aduersa minus sentiunt, qui ijs assueuerunt.

They can best away vvith hardnes or aduersitie, vvhich are vsed vnto it, or most acquaynted therwithall.

Malorum consuetudine sensus amittitur: malorum consuetudo sensum adimit, sentiendi vim aufert, stuporem inducit, inijcit, infert, sensus obstupefacit: sensus obstupesit, a[illegible]itur, aufertur vsu diuturno calamitatum: aduersas res minime sentiunt, sensu non percipiunt ij, quorum occaluit animus, quorum animis callum obduxit diuturna consuetudo, qui secundis rebus nisi perquàm rarò sunt, secundas res haud sæpè nouerunt, quorum animi, tantum abest, vt recentes ad fortunã sint, insolentes ad iniurias fortunæ sint, vt malorum vsu & consuetudine prorsus obduruerint, callum contraxerint. Vide, calamitatum consuetudine, &c.

Aegrè fero stultitiam aliorum.

I can not away vvith other mens follies: I can not abide other mens foolishnes.

Nonnullorum stultitiam non facilè fero, ægrè sustineo, haud satis æquo animo fero: adduci non possum, inducere animum non possum, inducere animũ minimè possum: à meipso non queo impetrare, demẽtias nonnullorum vt animo non iniquo feram.

Aetatis annus.

The yere of his age, How olde a man is,

Annos duodecim natus est: duodecimum ætatis annum agit: ętas eius est duodecim annorum: duodecimum ætatis annum non excessit, non egressus est.

Aetatis flos.

The pride, the floure of ones age or yeres.

Flores ætate, integra, firma, valida ætate es, ætate viges, vales, validus es, firmus es.

Afflictis aliorum exempla solatio.

The consideration of like examples in others, doth comfort the afflicted: It is a comfort to haue companions in myserie.

Si, quæ tui similibus viris in omni ætate acciderunt, isto tuo tristissimo tempore colliges, in memoriam rediges, reuocabis, mente comprehendes, tecum reputabis, in animo volues, ipse tecum examinabis: admodum iuuari te senties, non leue solatium capies, hæc te valdè cogitatio sustẽtabit, in hac tua tam graui, tam aduersa, tam misera, planè desperata fortuna, in hac non solum aduersa, verùm penitùs euersa fortuna, in tantis miserijs: in tam misero rerum statu: tam miseris temporibus: in ista, qualem nemo vnquam sensit infœlicitate: nunc, dum res tuę pessimè se habent, pessimo loco sunt: dum tecum pessimè agitur: dum tibi pessimè cum fortuna conuenit: dum tuę fortunæ planè perditæ ac nullæ sunt, dum te premit infensa fortuna, dum te modis omnibus fortuna vexat, tibi negotium exibet, molesta est, grauis est, dum te suis viribus oppugnat, dum omnes ad te oppugnandum machinas adhibet, atque admouet.

Agas

Agas diligenter apud Senatum.

Sew or labour earnestly to the counsell, Applie or follow the counsell hard & diligently.

Fac in conueniendis senatoribus tuum studium extet: in prensandis, appellandis, rogandis senatoribus adhibe studium ac diligentiam quàm licet maximam: age diligenter cum senatoribus.

Agri vectigales.

Tributarie landes, Tithe landes, Groundes of the common ferme.

Fructuarij sunt hi agri, non sunt immunes, tributum soluunt, publicè aliquid pendunt, vectigales sunt.

Alexander fortis, at incautior.

Alexander was puissaunt, valiaunt, but not circumspect or polliticke.

Animi vim, magnitudinem, præstantiam ostendebat in prælijs Alexander, consilium in vitandis periculis ei deerat: animum in Alexandro pugnante, laudares, animi virtutem laudibus efferres, consilium & prudentiam in periculis desiderares, requireres: consilij non habebat satis Alexander ad vitanda, effugienda, declinanda, cauenda pericula: animo quidem in pugnis excellebat, fortem in pugnis animum gerebat, forti animo pugnas pugnabat, prælia tractabat, rem gerebat in pugnis.

Alienis vteris consilijs.

You are ruled by other mens aduise: you follow other mens counsell.

Video te auferri aliorum consilijs: intelligo, sentio, non te tuo duci, sed alieno abduci consilio: non tuum iudicium, sed aliena consilia sequi mihi videris. non ipse te in consilium adhibes, non ipse te audis, non ipse tibi pares, morem geris, obtemperas, obsequeris, assentiris: sed alieno vteris consilio: aliena te consilia regunt: ab alienis consilijs voluntas tua pendet: non ipse tibi dux es, verùm alios sequeris.

Alienus ab astutia.

Farre from craft, or deceit: A plaine dealinge man.

Astutiæ mihi non placent, non probantur, non satisfaciunt: astus non amo: artem simulandi, fraudem artificio tectam, mores ab aperta quadam simplicitate alienos, fucum ac fallacias, vafritiem, nimiam calliditatem, astuta ingenia, versuta, vafra, nimis callida, ad astutias, vafritiem, calliditatem propensa, naturali quodam odio prosequor: sum ab astutijs alienus: abhorret animus meus ab astutijs. Noui animum tuum nullà in quenquam maleuolentia suffusum. Simplex homo sum: simplex mihi animus est: apertus, nulla simulatione tectus, purus à fraude, ab omni labe: apertam veritatem amo: simulandi artificium à me prorsus abest.

Alijs magis vitio dabitur, quàm tibi.

C[illegible] er shall beare the blame rather then you.

[illegible]d maiori illis fraudi, quàm tibi erit: hoc illis plus i[illegible] et infamiæ, quàm tibi: plus illi subibunt infamiæ, quàm

quàm tu: hoc illis vitio magis tribuetur, quàm tibi. Maiori hoc ijs erit fraudi, quàm tibi: vitio dabitur ijs potius, quàm tibi: culpæ plus in eos quàm in te conferetur, plus ipsi ferent infamiæ, dedecoris, ignominiæ, culpę: grauior ad eos, quàm ad te redibit infamia.

Aliud præ se fert, aliud sentit.

He sayeth one thing, and thinketh another: He beareth two faces vnder a hoode.

Vultus simulatione sustinetur: aliud vultu significatur, aliud in animo latet: non congruit animus cum vultu: dissentit animus à vultu: animi sensum vultus occultat. Vide Vultus dissentit ab animo.

Altera hæc ratio me consolatur.

This second reason or cause, comforteth me.

Secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum: altera est ratio, quæ mihi solatium affert, præbet, parit, solatio est: alterum illud est, quo sustentor, recreor: illa est, quæ me consolatur, altera ratio: accedit illud ad animum meum sustentandum: deinde sustentor meorum malorum memoria.

Ambire homines studiosè.

To winne the harte, or get the fauour of men by all wayes possible.

Ambis, prensas, nullum in prensando studium, nullum officium prætermittis, tam prensas diligenter, quàm qui maxime, tua est diligentissima prensatio: in ambiendis hominibus nemo est vno te diligentior, nemo aptior: sed vereor, ne non succedat: exitus, ne te fallat, ne spe frustreris, ne secus accidat, ne

non ex animi tui ſententia procedat, ſuccedat, contingat, eueniat.

Amicitia laudata, quæ ex virtute oritur.

Frendſhip which ſpringeth from vertue, or is grounded vpon vertue, is prayſe worthy.

Ea demum laudabilis eſt, ea præclara beneuolentia, quam virtus, non fortuna peperit: qui virtutem in diligendis amicis, non fortunam ſequitur, is optimo conſilio vtitur, laudabiliter agit, ei laus debetur: honeſtus & rectus amor ille eſt, qui ex animi potiùs, quàm è fortunæ bonis exoritur, emergit, exiſtit, emanat, effluit: quicunque fortunam in amore ſpectat, non virtutem, iudicio labitur, ſincerum in eo ſimplexque iudicium requiras, deſideres.

Amiſſo equo euaſi.

I eſcaped very hardly with the loſſe of my horſe: I loſt my horſe and wente my waie cleare.

Vt vitæ conſulerem, vt euaderem à præſenti periculo, vt periculum vitarem minimè dubium, ad hoſtes equum miſi, immiſi, admiſi, incitaui, laxatis habenis hoſtes verſus impuli.

Amiſſus populi fauor.

It was not longe of your ſelfe, but of thoſe about you, that you haue loſt the hartes, the good will, the fauour of the people.

Factum eſt non tua, ſed tuorum culpa: vitio tuorum, non tuo contigit, vt populi ſtudium, gratiam, beneuo-

neuolentiam amiseris, perdideris: vt è studio, gratia, beneuolentia populi excideris: vt populus non amplius tibi faueat, studeat, suffragetur: tui studiosus: tibi amicus, benè in te sit animatus: studium populi, gratiam, beneuolentiam non tua, sed tuorum iniuria, tibi eripuit, ademit, abstulit: non per te, sed per tuos, non à te, sed à tuis, non tuo, sed tuorũ merito: iniuria tuorum potius, quàm tua, effectum est, commissum est, vt populum tui studiosum, benè in te animatum, tibi amicum iam non habeas, vt gratiosus apud populum, carus populo, in populi gratia minimè sis: vt nullum populi studium, nullam gratiam, aut beneuolentiam teneas, obtineas, possideas: vt fauente populo, suffragante, benigno, tibi amico, benè erga te animato, tui studioso non vtaris, gratiam tuam apud populum non tua, sed tuorum culpa extinxit: ex amore populi effluxisti.

Amor ex beneficio & iudicio profectus.

An aduised and deserued loue, or I loue you both for the good turne you haue bestowed vpon me, and also because I accompt or iudge you vvorthy of loue.

Diligo te beneficio quidem tuo prouocatus, sed iudicio etiam incitatus meo: meus in te amor ex iudicio fluxit: meum in te iudicium consequutus amor est: mea de tuis virtutibus opinio beneuolentiam peperit: contuli me ad te amandum, quia te dignum amore iudico, quoniam amabilis es: is es, qui amandus videare. Cùm amori, quem inter nos mutuum esse intelligo, multum tribuo, tum de ingenij tui præstan-

tia iudico, vt neminem tibi anteponam, comparem paucos.

Amor ex virtute.

Out of vertue loue, or loue for vertue sake.

Amandus es propter multas ſuauitates ingenij, officij, humanitatis: tuæ tibi ſuauitates, tuæ virtutes, amorem hominum conciliant, adiungunt ſtudia, gratiam pariunt, comparant, adipiſcuntur.

Amor litterarum quotidiè creſcit.

The loue of learning increaſeth dayly.

Studium quotidiè magis ingraueſcit: quotidiè magis cupiditate ſtudiorum incendor: meam ſtudiorum cupiditatem dies auget: tantum abeſt, vt meum ſtudium dies imminuat, vt etiam augeat: incitor ad ſtudia quotidie: magis ſtudia complector: in ſtudia incũbo: plus quotidiè operæ in ſtudijs pono: literis quotidiè magis vtor: ſtudiorum amore, conſuetudine, vſu magiſque capior in dies ſingulos.

Amo viros excelſo animo.

I loue the courageous heart, or the high minde and valiaunt ſtomacke.

Præſtantis animi viros libenter complector, quorum animus viget, qui animo vigent, qui vigore animi præſtant, quorum animus excellit, qui animo excellunt, qui ſunt excellenti animo, ſunt excellenti animo præditi, ſunt excellentis animi, in quibus eſt animi excellentia quædam, præſtantia, altitudo, excelſitas, ſublimitas, robur, vis: cum his libenter amicitiam contraho, ineo, coëo, inſtituo, iungo, eos facilè amo, amicos

amicos mihi libenter adiungo, applico me, adiungo me libenter ad eorum amicitiam : ſponte mea,& inductione quadam animi ad eorum amicitiam accedo,ad eos amandos propendeo,inclino,me do.

Anguſtiæ itineris in alpibus Apẽnini.

The narrowe ſtraites of the mountaines are marueilous comberſome to the paſſengers.

In alpibus Apennini magnæ ſunt, admodúmque difficiles locorum anguſtiæ: per alpes Apennini iter habentibus magno ſunt impedimento difficultates & anguſtiæ locorum : nihil incommodius, quàm illas Apennini montis anguſtias pertranſire : quàm ex illius Apẽnini montis anguſtijs ac difficultatibus euadere: anguſta loca per Apennini alpes euntibus crebrò ſe obijciunt, impedimenta opponunt, difficilem ac laborioſam viam reddunt.

Anguſtiæ nummorum.

A great lacke of money: It is a harde vvorld for money.

Incredibiles pecuniæ ſunt anguſtiæ: mira penuria nummorum eſt, ſumma nummorum difficultas eſt. pecuniæ minimum tractatur : vſus pecuniæ prope nullus eſt.Pecunia mihi ex permutatiöne debetur.

Animi abiectio,dedecus.

To abate in courage is a foule ſhame:You haue euer heretofore ſhewed your ſelfe to be of a moſt noble & haute courage:if you quayle now,you vtterly ſhame your ſelfe.

Animi tui magnitudinem inflectere ſine ſummo dedecore non potes: ſubibis infamiam, ſi ab animi tui præſtantia deſciueris: excelſo animo eris, ſi te demiſeris, aut humile quidquam cogitaueris, turpiſſimè dedecus admittes, grauis infamia conſequetur, ſummo tibi erit dedecori: animum demittere, animo cadere, animum imminuere, turpiſſimum tibi erit, magno vitio dabitur: humilis iam eſſe tuus animus, qui ſublimis erectuſque erat, ſine graui infamia non poteſt: ſublimia cogitabat animus tuus, nihil non altum ſuſpiciebat, nunc demiſſus eſt, humilis abiectus, humi ſerpere videtur, humi iacere.

Animus abiectus.

A faynt heart: one that thinketh too baſhly of him ſelfe.

Exigui, puſilli, infirmi, imbecilli animi es, infirmus ab animo es, animo iaces, iacet animus tuus: roboris ac neruorum in animo tuo parum eſt, nimium demiſſo, nimium imbecillo animo es: animus tibi ſine animo eſt: abeſt animus ab animo: facilè commoueris: facilè animo concidis: langues animo, languet animus tuus: animum in te deſidero, requiro.

Animus deſperantium per te erectus.

It is your doing that they haue plucked vp their heartes.

Tuis præclaris actionibus, qui antea timebant, excitati ſunt, recreati, ad bonam ſpem, ad fortitudinem reuocati, animos receperunt, recuperârunt, collegerunt, reuocârunt.

Animus excelſus.

A noble, lusty, courageus, constant, and setteled minde, prest to all assayes.

Noui magnitudinem animi tui, firmitatem, constantiam, vim, robur, fortitudinem, excellentiam, præstantiam, altitudinem, sublimitatem, excelsitatem: noui quàm forti animo sis, quàm constanti, ac firmo, quàm non demisso, non humili, non imbecillo, non fracto, quàm ad omnem euentum, ad omnes casus ferendos, ad omnem fortunam, ad omnes temporum motus, vicissitudinesque stabili, ac parato.

Animum inducere.

To persuade one selfe to any thing, I can not finde in my harte to looke him in the face.

Vt illius vultum subeam, imperare mihi non potero, impetrare à me non potero, adduci nunquam potero, ipse mihi persuadere, animum inducere, animo vim inferre non potero. Fit beneficijs tuis, & inductione quadam animi mei, te vt diligam. Vide Colloqui cum ipso, &c.

Animum laxare.

To recreate the wearie minde. I will goe into the countrey to take the aire a while, or to refresh my spirites.

Rus cogito, vt animum relaxem, animi causa, vt animum parumper à molestijs abducam, vt aliquid iucunditatis degustem, vt aliqua iucunditate fruar, vt animus reficiatur, recreetur, parumper acquiescat à curis, vt animum curis distractum, varieque dissipatum, recolligam, vt amissam animi iucũditatem recipiam,

vt

vt, quam mihi negotiorum & curarum odiosa consuetudo hilaritatem ademit, abstulit, eripuit, in me extinxit, perdidit, eam rerum iucundissimarum aspectu, atque vsu recuperem, recipiam.

Animus metu liberatus.

A harte free from all feare: You haue put me owt of all doubt, or aquited and ridde me of all feare.

Abstersisti mihi omnem metum: omnem mihi metum exemisti: omni me liberasti metu: effecisti, vt omnem timorem deponerem, vt auderem, forti animo vt essem, vt animo vigerem, ne quid timerem, vt metu vacarem: animum meum confirmasti, ad fortitudinem reuocasti, afflictum excitasti: factum à te est, vt animus meus qui iacebat, exurgeret, excitaretur, erigeretur: effecisti, vt animus meus sese colligeret atque confirmaret, roborisque multum reciperet: languebat antea meus animus, tu, vt valeret ac vigeret, effecisti.

Animus perspectus.

A tryed good will: You know my meaning: you vnderstand my minde, you see all my drifte.

Mea consilia planè tibi nota sunt: tenes consilia mea, animum meum, meos sensus: non te latent mea consilia: cognitum habes, ac perspectum animum meum: qui sit meus sensus, probè nosti, præclarè intelligis.

Animi probatio.

A trough and tryall of my harty good will, a witnesse of my harte.

Vbi res feret, cùm occaſio poſtulabit, indicabo tibi animum meum: pătefaciam, ſignificabo, declarabo, aperiam, teſtificabor, re tibi probabo, extabit animus meus, patebit, conſtabit, perſpicuus erit: ſignificationem tibi dabo, ſigna oſtendam, argumenta præbebo animi mei: animum tibi meum certa argumenta patefacient: ex apertis, minimè obſcuris, minimè dubijs argumentis, ſignis, iudicijs, teſtimonijs animũ meum, meam voluntatem, meos ſenſus cognoſces, perſpicies, intelliges, conijcies.

Animus ſincerus.

A ſincere harte, or a playne meaning.

Simplex mihi animus eſt, directus, apertus, nulla ſimulatione tectus, aut arte coloratus: ſimulationem, ſimulandi ſtudium mea natura, mea conſuetudo reſpuit: neque libenter, neque facilè fingo: ſimplicem veritatem amo: odi artes, quibus veritas vt inuolucro quodam obtegitur.

Annonæ caritas.

A great dearth of all victualles, eche thing is ſo deare, that euery man is driuen to his ſhiftes.

Ita cara eſt annona, ita grauis penuria, ea caritas, ea rerum omnium difficultas, eæ ſunt anguſtiæ, ita caræ veneunt, tanti pretij ſunt, tanti ſunt omnes res, vt incommodis multis affici, premi, laborare omnes cogantur: ex immoderata penuria, nimia caritate, annonæ difficultate, exiſtunt, oriuntur, gignuntur, quæ ferri

vix

vix possint, incommoda multa.

Annuæ administrationis finis.

The ende of my yearly office, Now the yeare of my office is out.

Annum administrationis meę tempus cõfeci, absolui, decurri: emeritæ mihi sunt annuæ operæ: emeritum annum tempus: perfunctus sum annuo munere: dies annua præterijt, abijt: annui imperij finem attigi, ad finem perueni.

Apollonius Crassi studijs aptus.

Apollonius was a great helpe to Crassus in his studies.

Erat Apollonius ad Crassi studia vehementer aptus: optima suis in studijs Crassus Apollonii opera vtebatur: egregiam Crasso in studiis operam nauabat Apollonius: erat Apollonius vtilis Crasso in studiis, admodumque commodus: vtebatur multum Apollonio Crassus: fructum Crassus in suis studiis capiebat optimum ex opera Apollonii.

Approbatum ab omnibus.

Approued of all men. Euery man will like wel of that your doing.

Omnibus approbantibus hoc facies: nemini non satisfeceris: hoc tuum factũ nemo repræhendet, nemo non probabit, nemo erit qui non probet: hoc tuo facto lætabuntur omnes.

A principio repetam consilia mea.

I will

I will repeate from the beginning al my counsell.

Altius paulò rationem repetam consiliorum meorum: longinqua repetam, vt apertius exponam consilia mea: longè repetam mei sermonis initium, quò pateant illustrius consilia mea: longinquum exordium capiet hic sermo, quem de meis consilijs habiturus sum.

A pueris amici.

Friendes euer from our youth.

Amicitia est inter nos inita, instituta, contracta iam inde à prima adolescentia: amare cœpimus inter nos iam tum, cùm adolescentuli essemus: in amicitiã coiuimus à primis adolescentiæ annis. ortus est inter nos amor, cùm ex ephebis vix dum excessissemus, essemus egressi: amicitiam iunximus, animos nostros amore iunximus iam ab illo tempore, cùm annos adolescentiæ primos attigissemus.

A puero alicui studio deditus.

Geuen to some study euen from his childhoode.

Huic me doctrinæ à pueritia dedi: hæc me à puero doctrina delectauit: hanc ego doctrinam, hãc studiorum rationem, hoc studiorum genus ab ineunte ætate sum sequutus, meam operam ad hæc studia iam inde à puero contuli, in hoc studiorum genere consumpsi, collocaui, his dedi studijs: hæc studia à primis annis colui: huic litterarum generi à teneris annis deuinctus fui: incubui puer in hæc studia.

A puero gloriæ cupidus.

Desirous of glory, or praise, euen from a childe.

Inflammatus ad gloriam à puero fuisti: iam inde à pueritia gloriæ ſtudio, atque amore flagraſti: ſpectaſti gloriam ante omnes res à primis annis: tibi erit gloria omnium rerum antiquiſſima, in animo erat, in oculis erat, in amoribus erat, in delitijs erat.

Arcta amicitia.

Deare or neareſt friendſhip: We are deare friends: No greater friends then vve two.

Summus mihi cum eo intercedit vſus, ſumma familiaritas: arctiſſima neceſſitate coniuncti ſumus: vinculis arctiſſimæ familiaritatis adſtricti ſumus: vtor eo, iſque me viciſſim, valdè familiariter: nihil eſt noſtra familiaritate coniunctius, alter alteri familiaris admodum ſumus: mutua eſt inter nos, eaque ſumma familiaritas. Arctiſſimo neceſſitudinis vinculo coniuncti ſumus: nihil eſt noſtra neceſſitudine cõiunctius: quo amoris vinculo adſtricti ſumus, eo nihil poteſt eſſe arctius, id eiuſmodi eſt, vt laxari nullo modo poſſit: peruenit ad ſummum amicitia noſtra: aucta ſic eſt, ita iam creuit noſtra coniunctio, vt nihil ad eam poſſit accedere: quod vinculum, quod ſtudij genus aut officij, quæ omnino res amori noſtro, amicitiæ coniunctioni, neceſſitudini deeſt? in amicitia noſtra requiri, aut deſiderari poſſit?

Artes merito honore carent.

Artes lacke their due honor: Learning is not eſteemed as it ought to be.

Non, vt deberent, honeſtæ ſunt: non, quanti deberent, æſtimantur: non, quo deberent, quo æquum eſſet, loco ſunt: non, quem deberent, locum obtinent:

non

non admodum in honore ſunt, dignitatis, exiſtimationis, honoris, loci non habent ſatis, exigui pretij ſunt, parui ſunt, haud magni reputantur bonæ artes: bonis artibus honor non eſt, locus non eſt, honor non tribuitur: bonæ artes honore vacant, dignitate carent, non coluntur, iacent, minimè vigent.

A ſententia depulſus aliorum maleuolentia.

The malice of others hath changed my minde.

Iſtorum maleuolentiſſimis obtrectationibus, improbis artibus, iniqua infenſaque imprimis opera, de vetere illa mea ſententia depulſus ſum, detruſus, deiectus: veterem ſententiā depoſui, abijcere ſum coactus, diſcedere à ſententia, deſciſcere, animum abducere, inſtitutæ curſum opinionis aliò conuertere, flectere, mutare.

Aſſeueratio cum iuramento.

An aſſuring vvith an othe.

Iuratus tibi affirmo, iureiurando tibi polliceor, atque confirmo, eiuſmodi rem eſſe, ita ſe rem habere, eiuſmodi rei ſtatum eſſe, in hoc ſtatu rem eſſe: ita mihi Deus benefaciat, faueat, adſit: ita me reſpiciat Deus, ſeruet, tueatur, non deſtituat, non deſerat: ita mihi à Deo proſpera contingant omnia: ita mihi optata contingant: ita, quæ opto, fœliciter eueniant: ita mihi benè ſit, meis rebus fœliciter eueniat, ad voluntatem cuncta fluant: ita viuam, diu fœliciterque viuam, diuturna lucis vſura fruar: ita mihi tum diuturnus vitæ curſus, tum facilis etiam, diuturnuſque ſit: ita meis optatis fortuna reſpondeat: ita ſim ſaluus, inco-

lumis, fœlix, fortunatus, beatus, malorũ expers, ignarus aduersæ fortunæ : ita nihil aduersi videam in vita: ita nũquam aduersam, perpetuò secundam fortunam experiar: ita fortuna vtar perpetuò bona. ita moriar: ne viuam: ne sim saluus: dispeream: perdat me Deus: malè mihi Deus faciat: Deum sentiam iratũ: malè mihi sit, nihil ex animi sentẽtia succedat: excludar omni cõmodo: aduersa mihi sint omnia: cadat infœliciter quicquid ago: infensa omnia, iniqua, aduersa experiar.

Assiduus nimium in studijs.

Tootoo studious, ouer studious: You are neuer from your booke.

Nunquam non legis, assiduè, omnibus horis, die noctuque, noctem cum die legendo coniungis: helluo librorum es: tua legendi sitis nunquam extinguitur, satiatur, expletur: totus in studijs es: litteris omnibus deditus es: nunquam studia intermittis: nunquam te seiungis à studijs: libros de manibus nunquam deponis: libros assiduè in manibus habes, tractas, euoluis, lectitas, legendo conteris: modum in studijs non tenes, non retines, non seruas, nullum agnoscis, immoderatè legis: non infra modum, sed supra modum sunt studia tua: nimium te studiis dedisti: nimium in studiis operæ consumis: nimius es in studiis: vsum studiorum nunquam dimittis.

Astuti οἱ πλεονεκτικοί.

Craftie children.

Astuti id hominis est, ad suam vtilitatem omnia referre, vtilitatem sequi, spectare, rebus cunctis anteferre, rerum omnium habere antiquissimam, primam ducere, in primis ponere.

A sum-

A ſummo dignitatis gradu ad infimum decidi.

From higheſt roome, to loweſt ſtate, from the court, to the cart: out of the hall, into the kitchin.

Sedebam in puppi, clauumque tenebam, nunc vix eſt in ſentina locus, libertatem ſeruitute commutaui: à ſummo poteſtatis ad infimum ſeruitutis locum decidi, deiectus, deturbatus, detruſus, depulſus à fortuna ſum: imperandi meum erat ius, nunc me ſeruiendi neceſſitas premit: dominatum, & cum dominatu libertatem perdidi: tantum abeſt vt imperem, vt nec liber ſim.

Atrox hoſtis.

A ſore ennemie.

Nimiùm grauiter nos oppugnas, aduerſus nos pugnas, nobiſcum pugnas, nobis aduerſaris: nimiùm te acerbum habemus: nimiùm nobis infenſus es: quicquid habes virium, contra nos confers: irruis impetu quàm potes maximo: facis maximum impetum contra nos: aduerſarius infenſus nimis es, infeſtus, grauis, acer, vehemens, ſæuus, propenſus nimis ad exitium noſtrum, noſtrum ſanguinem nimis auidè ſitiens, totus incumbens ad perniciem noſtram: contra nos, in nos, aduerſus nos iniquè nimis agis, moues omnes machinas, omnia moliris, nihil non tentas. Vide, Acerrimus aduerſarius.

A tuis literis alienum.

Not agreable to your letters, or contrary to your owne writinges.

Non est hoc tuis literis consentaneum : non conuenit cum tuis litteris, non consentit, non congruit non quadrat, discrepat à tuis litteris : aborret à tuis literis : alienum est à tuarum literarum sententia.

Auaritia hodiè dominatur.

Now a dayes couetousnes beareth the sway or ruleth the rost. What more, what lesse, all the worlde is set vpon couetousnes.

His temporibus latissimè patet auaritia vbique, vbique locorum, vbiuis, vbiuis locorum, nusquam non est: dominatur, regnat, viget maximè, orbem terrarum est complexa, omnium animos occupauit, ac tenet, in animos omnium irrepsit : infecti sunt omnes auaritiæ labe: plus operæ in re quærēda, in opibus cōgerendis, in diuitijs colligendis, compatādis, contrahendis ponitur, consumitur, locatur, quàm deceat : auaritiæ vitio hodie ferè nemo non laborat: propésì omnes ferè sunt ad auaritiam : ad summum peruenit auaritia, eò processit, eò est auaritia progressa, quò maximè potuit, quò longiùs non datur, quò non licet vlteriùs.

Auctor mali.

The Author, cause or beginning of all euill.

Tu horum malorum causa, tu fons, & origo: tu tantas malorum faces incendisti : tu horum malorum initium attulisti: tu hæc mala peperisti, hæc mala excitasti: auctor horum malorum præter te nemo fuit: à te fluxerunt

fluxerunt hæc mala, hæc incommoda, calamitates, acerbitates, infortunia, damna, detrimenta, pernicies, exitium, rerum euersio : horum malorum culpam sustines, horum in te malorum culpa conferenda est omnis: hæc tibi sunt adscribenda, assignanda : has calamitates vni tibi acceptas referre debemus. Tuo beneficio viuit hæc pestis.

Augere imperium.

To enlarge the empire or dominions.

Valdè Pompeius auxit, amplificauit imperium Romanum: protulit, produxit, protendit imperij Romani terminos : multum addidit, adiunxit ad imperium Romanum : multas regiones in populi Romani potestatem redegit, populo Romano subegit, ad populi Romani ditionem adiunxit : magna per Pompeium ad imperij Romani vires, ad opes populi Romani accessio facta est.

Αὐτάρκης.

A man in all pointes able to liue sufficientlie of him selfe. Content is pleased.

Contentus sum rerum mearum statu : sufficit, satis est, abunde est, quod habeo : acquiesco rebus meis: maiora non appeto, continet se intra fines hos animus meus, non prolabitur, non excurrit, non se longius effert, non se tollit altius, plus à fortuna non postulo.

Auxilium fer patriæ.

Helpe your owne countrie.

Fer opem occidenti patriæ : excipe cadentem pa-

triam:medere patriæ grauissimè laboranti,eripe summis è miserijs patriam:auxiliare, auxilium affer,auxilio sis patriæ:adiuua patriam : noli patriæ deesse: noli committere vt patriam deseras,vt auxilium tuum patria desideret in aduersa fortuna,in tantis malis, calamitatibus,miserijs,tam duris,miseris, tristibus,perditis temporibus.

Belli calamitas.

The miserie of warre.

Multa damna, eaque grauia bellum creat, infert, importat: multis & grauibus damnis bellum regiones afficit:vehementer bellum regiones vastat, vexat, affligit,corrumpit,deijcit,prosternit,opprimit : perdit bellum regiones, corrumpit omnia, perdit omnia, quasi flamma vrit, & consumit omnia: nulla calamitas est, nullum exitium,nihil tam durum, tam acerbum, quod in bello regiones non sentiant, experiantur, ferant, sustineant, perpetiantur : ecquod infortunium est,ecquæ calamitas,acerbitas,duritas, quæ non ex bello nascatur,oriatur,creetur : nullius mali expers est,nulla vacat calamitate regio illa, in qua bellum geritur: perculsa bello, atque prostrata iacent omnia. Vide, Ex bello calamitas.

Belli metus.

The feare of warre: It is to be feared that we shall haue sharpe and cruell warre.

Belli magni timor impendet: res ad arma spectat: graue bellum in metu est: versamur in timore magni belli:aduentare,appropinquare,adesse iam graue bellum videtur: graue bellum timemus, metuimus, formidamus,

midamus, extimeſcimus, pertimeſcimus.

Belli reliquiæ extinguendæ.

To quench the laſt ſparkles that remayne of the vvarre.

In eam curam incumbe, ne qua belli ſcintilla relinquatur, vt belli extrema deleas, vt belli reliquias perſequare, atque conficias, vt profligatum à te, confectum, abſolutum, ſublatum penitus bellum lætari poſſimus.

Bellum renouare.

To renew vvarre: to begin the vvarres afreſh.

Lepidus bellum ciuile inter ciues renouauit, redintegrauit, ſuſcitauit iam extinctum, inflammauit iam reſtinctum, rurſus excitauit, concitauit, denuò commouit, conflauit, nouo bello ciues implicauit, ciues in bellum denuò coniecit, magnis belli fluctibus obiecit, ex præſenti iam tranquillitate magnas belli tempeſtates commouit, excitauit.

Bellum ſuſcipere, temerarium eſt, finire virtutis.

To beginne warre is oftentimes raſhnes, but to ende the ſame as it ought to be, is alwayes the poynt of vviſdome & manhood.

Bellum ſuſcipere, inire, inferre, mouere, ad bellum aggredi, arma capere, ire ad arma, ſæpè temeritatis eſt: conficere autem, perficere, abſoluere, reſtinguere, ad exitum fœliciter perducere, victoria terminare, optato exitu concludere, non fortunæ ſolùm, ſed virtu-

tis etiam eſt argumentum: qui bellum ſuſcipit, is te-
merè ſæpè facit, temerario impellitur conſilio, teme-
ritatis impulſu peccat: qui verò belli extrema delet,
bello finem imponit, finem facit, finem ſtatuit, belli
reliquias aufert, conficit, delet, non fortunæ ſolùm, ſed
virtuti quoque acceptum referre debet.

Beneficij memor.

Mindfull of a good turne, I vvill neuer forget your curteſie, your benefites, your goodnes towards me, vvhile I haue a day to liue.

Tua in me officia nunquam obliuiſcar, ſemper meminero, memoria tenebo, perpetua memoria tuebor, cuſtodiam, conſeruabo: tua erga me merita nulla vnquam apud me delebit obliuio: nulla dies, nulla temporis vetuſtas, non caſus vllus, non fortuna magnitudinem tuorum erga me meritorum imminuet, ex animo meo delebit, tollet, auferet, obliuione delebit, obruet, obſcurabit, extinguet: vigebit in me tuorum beneficiorum æterna, perpetua, nunquam interitura memoria: nullum apud me tuum beneficium intermoriturum exiſtima: tuam in me ſingularem benignitatem, incredibilem liberalitatem ſemper in animo, ſemper in oculis habebo: tuum beneficium omnibus meis ſermonibus illuſtrabo, efferam, exornabo: perire apud me, aut euaneſcere nunquam patiar: hærebunt mihi in animo, mente, memoria fixa permanebunt, impreſſa in animo ac mente patebunt, extabunt tua beneficia: vitæ par, æqualis erit recordatio meritorum tuorum: qui mihi vitam dies, ille ipſe tuorum officiorum memoriam terminabit: finis mihi ac terminus

terminus & virę,& benignitatis,& liberalitatis in me tuæ idem erit, futurus idem est : quàm amanter me tractaueris,quàm benignè mihi feceris,quàm studiosè in omni re commodaueris,quàm humaniter & beneficè mecum egeris, quibus officijs amicitiam nostram colueris,prosecutus sis,quibus me rebus auxeris, ornaueris, honestaueris: ipse mihi atque etiam alijs commemorabo: ita diu recordabor, quàm diu mihi viuere contigerit.

Beneficium collatum,sine spe remunerationis.

A franke benefite,or to bestowe bountifully vvithout hope of recompence.

Contuli quæ in illum officia,beneficia,merita potui: etsi remunerationem planè nullam expectarem: quantum in me fuit, quantum efficere & consequi potui, pro meo studio, meaque industria complexus illum sum,affeci,ornaui,auxi omnibus officijs: quanquam ab eo minimè parem gratiam expectarem,nullum officij genus,aut studij,nullam omnino rem,quę vel ad vtilitatem illius,vel ad laudem spectaret,omisi, prætermisi,infectam reliqui: licet futurum non sperarem,vt memorem & gratum experirer: omnia quæ quidem præstare mihi licuit, profecta in illum sunt: cùm tamen spe nulla niterer, spes me nulla teneret, futurum aliquando, parem vt mihi gratiam referret, vt omnia mea paribus compensaret officijs,remuneraretur officijs,æquaret officijs, vt vllum grati animi signum ostenderet, vt se memorem gratumque probaret, vt vllum omnino studiorum officiorumque meorum fructum ferrem, meam in illum volunta-

tem & beneuolentiam, quandocunque res tulit, vbi tempus & occaſio poſtulabit, re probaui, oſtendi, ſignificaui, declaraui, patefeci: ſpe tamē adductus nulla gratiæ referendæ: benè meritus de illo ſum quàm potui ſtudioſiſſimè: quanquàm illius erga me voluntati diffiderem, ſpem in illius voluntate minimam ponerem, pariter animatum in me fore non confiderem: licet fore non confiderem, vt paribus mihi reſponderet officijs.

Boni ciuis eſt publica curare.

A good citizen, or a good ſubiect vvill haue his chiefe regarde to the publique vveale, or to the common vvealth.

Boni ciuis eſt, ad bonum ciuem pertinet, bonum ciuem decet, ſuam voluntatem ad publicam cauſam aggregare, accommodare, adiungere, conferre, cum publica cauſa coniungere, in omni ſua voluntate, quid rationes publicæ ferant, quid reſpub. poſtulet ſpectare, intueri, attendere: nihil vnquam velle à publica re ſeiunctum, alienum, diſiunctum, ſeparatum, remotum, quod reipub. rationibus non conducat, expediat, vtile ſit: quod reipub. cōmoda non poſtulent.

Bonus ciuis eſto.

Shew thy ſelfe a good citizen: take heede you be not founde an ill ſubiect.

Da operam, enitere, vt bonum ciuem, bonum te ciuem præbeas, præſtes, vt boni ciuis partes tueare, ſuſtineas, agas, exequare, vt boni ciuis officio ſatisfacias, vt ea præſtes, quæ bonū ciuem decent, quæ expectantur ab eo qui boni ciuis nomen aucupatur: no-

li

li committere, caue ne boni ciuis in officio repræhendaris:ne boni ciuis officium prætermittas:ne quid à te fiat, ne quid committatur bono ciue minus dignum,indecorum bono ciui,ne ciuis eius,qui ciuitate dignus haberi velit,partes in te requirantur,officium in te desideretur, obeunda tibi sunt, præstanda sunt, non indiligẽter,aut languidè munera boni ciuis.Non repræhendar in officio boni ciuis: non committam, vt officium boni ciuis in me desideretur.

Breuiter.

To be shorte: at a worde.

Quid quæris?noli quærere: quid plura?quid pluribus? quid multa? quid multis?ne plura: pluribus: ne multa:ne multis: ne te multis morer: ne te multis teneam:quid opus multis?vt in pauca multa conferam: vt paucis concludam:vt rem paucis complectar,comprehendam, perstringam: vt summatim exponam,vt breuitate vtar, vt satietatem longæ orationis effugiam:ne longam orationem suspiciam.

Cæsar dux optimus.

Cæsar a worthy captaine, or generall.

Dux, imperator, rector exercituum Cæsar is fuit, quo præstantior haberi nemo possit: præfuit exercitibus Cæsar eximia cum laude: ductor copiarum fuit nemini secundus: copias duxit ac lustrauit admirabili rerum bellicarum scientia, gessit bella suo ductu, ea virtute ac vigilantia, non modò vt superiorem, sed nec omnino parem quenquam vt habuerit.

Cæsaris humanitas.

Cæsars humanitie, good nature, curtesie, or bountifulnes passeth all the rest.

Cæsar præter multas quibus floruit virtutes, vt virtutes, quibus enituit, quæ in illo viguerunt, multas omittam: ea fuit humanitate, eius humanitatis, ea præditus humanitate, vt nihil suprà posset, vt nemo cum illo conferendus, comparandus, æquandus: nemo illi par fuisse videatur: liberalitate Cæsar excelluit, omnibus antecelluit, præstitit, omnes vicit: nihil Cęsare humanius: humanitatem Cæsar ita coluit, vt nemo ad illum conferendus: nemo illo fuit ad humanitatem propensior: proprio quodam naturæ munere factus ad liberalitatem videbatur, singularem in exercenda liberalitate, & præcipua quadam laudę dignum, iure Cæsarem dixeris: laudem liberalitatis, præter cæteros Cæsar tulit: laus liberalitatis vni maximè Cæsari debetur.

Cæsar vicit Pompeium.

Cæsar ouercame or vanquished Pompeie.

Cæsar Pompeium, cùm exercitum ipse haberet multis partibus inferiorem, pugna tamen fregit, prælio superauit, acie vicit, fudit, fugauitque: copias eius profligauit, in fugam coniecit, conuertit: victoria est potitus, victoriam tulit, obtinuit, consecutus est, adęptus est.

Calamitatum consuetudine sensus amittitur.

Custome or vse taketh away the paine: or smarte of miserie.

Malo-

Malorum vsus mihi sensum ademit: leuiora videntur quæ diu sustinui mala: occalluit iam animus diuturno malorum vsu: callum obduxit animo meo diuturna calamitatum consuetudo, sic, vt minimè sentiat, vt sensu prorsus vacet, vt sensum amiserit. Vide, Aduersa minus sentiunt.

Camillus Romam ex obsidione Gallorum liberauit.

Camillus deliuered Rome from the seege of the Gaules, or Frenshmen.

Camillus vrbem Romanam obsidione Gallorum exemit, liberauit, ab obsidione vindicauit, ex obsidione eripuit, obsessam, septam, copijs Gallorum vndique cinctam, oppressam liberauit, in libertatem restituit, libertati restituit, libertate donauit, liberam reddidit, seruauit, seruauit incolumem, saluã, incolumem reddidit, salute atque incolumitate donauit: Gallos, vrbem obsidentes, obsidione premẽtes, vrbis libertati, castris circa collatis, imminentes, obsidionis corona cingentes, circumsidentes, castris positis ad vrbem, sedentes expulit, eiecit, in fugam conuertit, disiecit, fugauit, dissipauit, summouit, fudit, fugauitq;.

Candor.

Sinceritie, By that time you shall knowe me throughly, you shall finde me no dissembler.

Cùm ingenium meum re perspexeris, cognoueris, expertus sis, vsu perspectum habeas, ipsa re cognitum: nihil in me insidiosum aut fallax debes agnoscere: abesse me ab omni dolo, omniq́ue fraude, minimè dolosum, astutum, insidiosum, fraudulentum, nec&en-

dis fraudibus, parandis dolis, ſtruendis inſidijs aſſuetum, ſynceri animi, ſimplicis ingenij, apertæ voluntatis, rectæ mentis, alienum ab arte ſimulandi, fraudandi, fallendi, decipiendi.

Caput rei.

The verie grounde of the matter: the chiefe point.

Hoc rem continet: in hoc tota res agitur: in hoc ſunt omnia, ſita ſunt, poſita, collocata, conſtituta: ex hoc omnia pendent: hoc intereſt inter omnes partes, valet in omnes partes: hoc tanti eſt, eius ponderis eſt, eiuſmodi eſt, vt omnia compræhendat, complectatur.

Caſtra metari.

To pitche his tentes, to laye ſeege to a place.

Apud Patauium caſtra poſuit, locauit, conſtituit, fecit: metatus eſt: caſtra metatus eſt. Patauium obſidione cinxit, obſedit ſuis copijs, ſuo ſepſit exercitu.

Caſu cauſa cecidi.

My cauſe was ouerthrowen by chaunce: by chaunce I had the ouerthrowe.

Vt cauſa ceciderim, litem perdiderim, euenit, obuenit, contigit, obtigit, accidit, factum eſt, caſu factum ſt, caſus tulit, fortuna fecit, fortunæ placuit.

Cato Cenſorinus, omnium innocentiſſimus in iudicium vocatur.

The

The most innocent Cato Censorinus was arreigned.

Cato cognomento Censorinus, qui Censorini cognomen tulit, qui Censorinus est nuncupatus, qui Cẽsorini cognomine vsus est, cùm nemine esset probitate inferior, neminem haberet integritate superiorem, nemini de probitate cõcederet, bonitate excelleret, præstaret: quinquagies tamen accusatus est, in iudicium vocatus est, postulatus est, ei dies dicta est, eius nomen delatum est, causam dixit vitæ suæ, actorum suorum, rerum à se gestarum rationem reddere, vitam suam, atque innocentiam probare coactus est, subiit iudicium, reus fuit, factus est, sedit reus, sedit reorum loco, iudicum tribunal adiuit, accusatorum audiuit impura maledicta, acerba conuitia, accusationis molestiam sustinuit.

Certò scias, te amari.

Be thou assured, thou art loued.

Sic habeto, illum nemini concedere, qui te magis ex animo diligat: te illi neminem esse chariorem: neminem illo esse ad amandum propensiorem: singularem illius esse in te beneuolentiam: summam in illo esse ad te amandum, animi propensionem: velim sic habeas, pro certò habeas, planè credas, tibi persuadeas, prorsus animum inducas, in animum inducas, cum animo tuo constituas, pro certo habeas, pro explorato, pro comperto, oraculi loco, vt minimè dubites, minimè dubitanter credas, persuasum atque fixum in animo tuo sit, velim ita credas prorsus, vt minimè dubites, vt dubitatio tibi nulla relinquatur, supersit, reliqua sit: credas mihi itidem, vt oraculis cre-

deres:hoc mihi ita credas, vt editũ ex oraculo putes.

Cicero agendarum cauſarum artifex.

Cicero in plaiding was his crafts maſter, Tully for an eloquent lawyer had no peere.

In agendis cauſis Cicero omnibus antecelluit,præſtitit,vicit omnes,excelluit inter omnes,anteiuit omnes,anteceſſit:patronus Ciceroni conferendus nemo fuit,neque eloquẽtia,neque ſtudio,neque fide: ad iudices,ad tribunalia,ad cauſas tantum eloquentię,ſtudij,fidei,quantum Cicero,nemo attulit: in iudicijs,in foro,in forenſibus cauſis, in forenſi munere, in tractandis cauſis, in cauſarum patrocinijs, in defendendo,& accuſando par Ciceroni nemo fuit.

Cicero & Cato amici.

Cicero and Cato vvere great friendes.

Erant Cicero & Cato & amicitia & ſenſibus in Repub. coniunctiſſimi: amabant inter ſe vehementer Cicero & Cato,& erant pariter in Republica animati,& erant ſenſibus in Republica conſentientibus.

Cicero Platonem ſequutus eſt.

Cicero liked Plato beſt,and followed him moſt of any other.

Platonem Cicero vehementer autorem ſequebatur: Platoni tribuebat plurimum,ſummam fidem habebat,planè credebat,vt oraculo credebat. Platonem habebat eximium: ſingularis erat apud Ciceronem Platonis anctoritas.errare Cicero cum Platone malebat,quàm cum alijs bene ſentire: plurimi apud Ciceronem erat Plato, faciebat plurimi neminem, plus apud

apud eum, ponderis habebat nemo.

Cicero præter modum doluit mortua filia.

Cicero or Tully lamented or tooke the death of his daughter grieuously, beyonde or past all measure.

Doloris plurimum Cicero hausit, accepit, cepit, tulit, ex morte, ex obitu, ex interitu filiæ, grauiter est affectus, magna sollicitudine affectus est, vexatus est, oppressus est: ita doluit, vt nemo magis: tam doluit, quàm qui maximè: obitum filiæ tulit acerbissimè, sic, vt iucunditatem omnem penitùs amiserit: summum attulit dolorem Ciceroni, dedit, peperit obitus filiæ: summam Cicero sensit acerbitatem extincta filia.

Cicero splendidè habitauit.

Cicero dwelled very pleasauntly: had his house very vvell trimmed vp: vvas very fine and nete in his house.

Domo Cicero vtebatur comprimis lauta, & pereleganti: habitabit Cicero lautissimè & iucundissimè, eæ Ciceronis ædes erant, in quibus neque lautitiam, neque elegantiam desiderares: erat in Ciceronis ædibus lautitiæ multum, atque elegantiæ.

Citò.

Speedily, immediatly, out of hande.

Rem aggrediar sine mora, absque mora, statim, confestim, è vestigio, nulla mora facta.

Ciuilis diſcordia ſopita.

The ciuill tumultes and diſcorde is qualified or ſtayed.

Longius etiam ciuilis diſcordia manaſſet, proceſſiſſet, progreſſa eſſet, grauior eſſet facta, niſi ſenatus eam compreſſiſſet, repreſſiſſet: niſi ſenatus ei occurriſſet, obuiam iuiſſet, impedimenta obieciſſet, impedimento fuiſſet. Præclarum exemplum in poſterum vindicandæ ſeditionis de republica ſuſtuliſti.

Ciuitas ex virtute donata.

His vertue, his vvorthyneſſe made him free of the citie. Not the welthie men, but the worthy perſonages for vertue and wiſdome were enfranchiſed in Rome.

Non diuitiæ, ſed virtus aditum patefaciebat ad ciuitatem Romanam, ciuitate Romana donabatur, qui virtute, non qui diuitijs emineret: non opes, ſed virtus ciuitatem Romanam dabat: patebat Romana ciuitas virtuti potius, quàm diuitijs, ius Romanæ ciuitatis conſequebatur, dignus Romana ciuitate putabatur, recipiebatur in ciuitatem, ad ciuium numerum adſcribebatur, ciuis locum obtinebat, referebatur inter ciues, adſcribebatur in ciuitatem, particeps ciuitatis, ciuiliumque munerum fiebat, impertiebatur ciuitate, perueniebat in ciuitatem, ei ciuitas communicabatur, non qui opibus abundaret, afflueret, valeret, ſed qui virtute polleret, excelleret, præſtaret: non inſtructis, ac benè paratis à re domeſtica: ſed virtute præditis hominibus facilis erat, expeditus, minimè dubius ad Romanam ciuitatem curſus, via patebat,

nullo negotio aperiebatur, ad iura munieraque omnia ciuitatis Romanæ, præmium Romana ciuitas erat.

Clarus apud ciues suos.

In great authoritie and estimation amongest his citizens, or countreymen.

Vales auctoritate apud tuos ciues: magnus atque honestus es in ciuitate: magno es in honore, ac nomine apud tuos ciues: magni te facit patria tua, multum tibi defert, multum tribuit. Primarius, honestus, honesto loco natus, optimæ inter suos ciues conditionis, tui te ciues magni faciunt: magnus es, honoratus, clarus apud tuos ciues: multum tibi ciues tui deferunt: patria tua tantum tibi tribuit, quantum fortasse nemini, atque adeò quantum prorsus nemini.

Clarus in Republica.

A noble gouerner of the common wealth, a worshipfull man, an honorable person, one of greate authoritie.

Vir clarissimus, spectatissimus, & in reipub. maximis grauissimisque causis cognitus, atque in primis probatus: homo valdè honoratus, multæ existimationis & auctoritatis: cui plurimum tribuitur, cuius est grauissima auctoritas: cuius sentẽtia ac voluntas pondus habet: penitus administrandæ reipub. gnarus ac sciens tractandæ reipublicæ: non parum versatus in publica re: minimè omnium peregrinus in republica: omnes reipublicæ partes optimè tenens: minimè omnium rudis in republica: homo in rebus admodum versatus, magno rerum vsu, rebus agẽdis exercitatus.

Cogitate mutationes rerum humanarum.

To remember or to call in minde the chaunces of this life: to thinke vpon the mutabilitie of this worlde.

Intendite animos vestros, ipsi vobiscum consulite, inite consilia cum animis vestris: & quæ sit fortunæ vicissitudo, quæ mutatio, qui fluctus rerum humanarum, quàm varia tempestate iactetur hominum vita, cogitate, animaduertite, attendite, examinate, perpendite, cum ratione tanquam æquissima lance, diligenter æstimate.

Colloqui cum ipso non possum.

I can not abide to speake, or to haue any conference and communication with him.

Vt illum adeam, ad illum accedam, ad illum me conferam, illum alloquar, sermonē cum illo habeam, illius vultum subeam, adduci nunquam potero, impetrare à me non potero, impetrare mihi non potero, persuadere mihi ipse non potero, neque adduci mea sponte, neque vlla impelli ratione potero: nihil mihi difficilius, laboriosius, molestius, nihil maioris negotij, quàm vt cum illo sermonem iungam. Vide, Animum inducere.

Comes perpetuus.

An vnseparable companion: I will neuer forsake you.

Assiduum, perpetuum, vsque dum volueris, quoad volueris,

voluerις,comitem me habebis,me tibi comitem præbebo:hærebo tibi vſque, tibi affixus ero, dum tua voluntas feret:nunquàm à te,nunquàm à tuo latere,niſi te volente, lubente, concedente, permittente diſcedam : nulla me res,niſi tua voluntas,auellet abs te,amouebit,ſeiunget,diſiunget,abiunget. Vide,Adiungam me tibi.

Commendatio diligentiſſima.

A moſt earneſt commendation, and praiſe: a moſt frendly writing in ones behalfe.

Sic tibi eum cõmendo,vt maiore cura,ſtudio,ſollicitudine animi cõmendare nõ poſſim:velim tibi perſuadeas, nihil me maiore ſtudio à te petere, nihil te mihi gratius facere poſſe, quàm ſi omnibus tuis opibus,omni ſtudio eum iuueris:peto à te maiorẽ in modũ, vel humanitatis tuæ,vel mea cauſa,vt eum auctoritate tua,quæ plurimum valet, conſeruatum velis,ita à te peto, vt maiore ſtudio, magíſue ex animo petere non poſſim: velim omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate & poteſtate tua proficiſci poterit,non modò re, ſed etiam verbis, vultu denique exprimas: vehementer te rogo, vt cures, vt ex hac commendatione mihi quàm maximas, quamprimùm, quàm ſæpiſſimè gratias agat:velim eum omnibus tuis officijs, atq; omni liberalitate tueare, ſi me tanti facis, quanti & ipſe exiſtimat, & ego ſentio, cures quamprimùm intelligam, hanc meam commendationem tantum illi vtilitatis attuliſſe, quantum & ipſe ſperauit, nec ego dubitârim. velim eum quàm honorificentiſſimè pro tua natura, & quàm liberaliſſimè tractes. velim eum quàm liberaliſſimè complectare. maximoperè & vt meũm amicum,& tua dignum amicitia tibi com-

mendo:vehementer tibi gratum erit, si eum humanitate tua, quæ est singularis comprehenderis: sic eum tibi commendo, vt neque maiore studio quenquam, neque iustioribus de causis commendare possim: gratissimum mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum, id est, si eum quàm maximè, quibuscunque rebus honestè ac pro tua dignitate poteris, iuueris, atque ornaueris: peto à te maiorem in modum, vt ei omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesque patietur, commodes, cures: vt is intelligat hanc meam commendationem maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse: si vlla mea apud te commendatio valuit (multas autem valuisse plurimum scio) hæc vt valeat, rogo: maiorem in modum a te peto, vt cùm omnes meos æquè ac tuos obseruare pro nostra necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, vt ipse intelligat nullam rem sibi maiori vsui, aut ornamento, quàm meam commendationem esse potuisse: eum si me diligis, eo numero cura vt habeas, quo meipsum: hanc commendationem, quàm his literis consignare volui, scito esse omniũ grauissimam: eum si tibi commendabo verbis ijs, quibus cum diligentissimè quid agimus, vti solemus, vix tamen studio meo satisfecisse mihi videar: genere commendationis mirifico, eoque planè, quod sit ex intima arte, intimoque ex animo deprompium, vsum me putato: commendo tibi eum non vulgariter, sed ita prorsus, vt quos diligentissimè, valdeq; ex animo soleo: quanti apud te sum, tantum valere apud te commendationem meam, effice vt intelligam: eum tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima.

Commendo tibi hanc rem.

I pray

I pray you doe all that ye can possible in this cause: I leaue this matter to your honestie and discretion.

Omnem tibi rem, atque causam commẽdo, atque trado: eius negotium sic velim suscipias, vt si esset res mea, tibi commendo ac trado, vt grauissimè diligentissimeque possum,

Commoda & honor tuus curæ mihi sunt.

I vvill haue a speciall care both for your profite and vvorshippe.

Toto animo de tuis commodis, ornamentisque cogito: valdè laboro de tuis commodis & ornamentis: mihi tuus honor, & tuæ fortunæ etiam atq; etiam curæ sunt: de vtilitate, ac laude tua æquè ac de me ipso cogito: ita cogito, vt nemo magis: tam cogito quàm qui maximè.

Commodis meis non consului.

I haue not respected my owne profite, I haue bene carelesse of mine owne commoditie.

Nullam hactenus vtilitatis meæ rationem habui: nullam rationibus meis operam dedi: de vtilitate minimum laboraui: vtilitatem minimè spectaui, curaui, quæsiui, sequutus sum: nullum in vtilitate studiũ posui, nihil industriæ locaui, nihil operæ consumpsi: diligentiam commodorum meorum causa nullam adhibui, ad res meas nullam contuli: res meas indiligenter administraui, tractaui. Vide, Rem meam non curaui.

Communis mons.

We haue both interest in this hill: We are ioyned lordes of this hill.

Hic tibi mecum, hic inter nos cõmunis est mons, diuisus aquarum diuortiis: particeps vterque nostrum huiusce montis est, mons hic pertinet ad vtrumque nostrum, iuris vtriusque nostrum est, ius habemus v-terque in hoc monte.

Conatus in magnis laudandus.

In great and vvaightie affayres howe so euer the matter fall out, the very attempt is prayse vvorthy: or to shew a good vvill is commendable.

Qui facinus egregium aggrediuntur, ijs, etiamsi nõ succedat, laus tamen aliqua debetur: qui ad res præclaras animum adijciunt, animum adiungunt, sese applicant, sua studia conferunt, præclaris in rebus suam industriam exercent, operam ponunt, ij, vel si spem fortuna frustretur, fallat, vel si spei exitus non respõdeat, vt id quod velint, minus assequãtur, vt quò spe-ctant, minimè perueniant: omni tamen excludendi laude non sunt, aliqua tamẽ eos ornari laude æquum est: magna suscipiẽtibus, ad res egregias, nobiles, præclaras, eximias aggredientibus, vel si frustra labor suscipiatur, inanis opera sit, non planè fœliciter, non prosperè, non optimè, non omnino ex animi sententia res cadat, habendus tamen honor est: pręclara conantes, in secundis tertiisque, si consequi prima non liceat, consistere laus est: qui ad summam gloriam suæ vitæ cursum dirigunt, qui summa petunt, ad summa conten-

contendunt,etiam si spe frustrentur,etiam si,quò intenderint non perueniant,etiam si metam non attingant,est tamen cur laudentur,non sunt omni prorsus laude summouendi,decus aliquod,mercedem voluntatis egregiæ,magni, præstantis, excellentis, excelsi, erecti animi præmium ferre debent.

Concessio.

Good leaue: I am vvell content, so it may be for your profite.

Quod ad me attinet, facilè patior, modò sine tuo incommodo fiat: modò ita facias, ne tibi incommodes, ne incommodo tibi sis, incommodo tibi sit, contra tuum commodum sit, tuo commodo aduersetur: quod commodo tuo facere possis, commodè facere possis, sine molestia tuâ fiat.

Concisi equites.

The horsemen slayne and discomfited.

Omnes equitum turmæ occisione occisæ, cæsæ, concisæ, trucidatæ, obtruncatæ, profligatæ sunt. Vide, Milites egregii cæsi.

Conclusio epistolæ.

The conclusion or ende of the epistle.

Finem scribendi faciam, si te primùm rogauero, vt me diligas: epistolæ clausula hæc erit, vt beneuolentiam in me tuam abs te petam: epistolam ita concludam: ita finem faciam, imponam: epistolæ clausula hæc erit, vt rogem, vt me diligas, téque hortor ad illud studium, vnde laus emanat maxima. Cùm otij paulum nactus ero, vberiores à me literas expectato.

Coniectura.

A coniecture, or gessing: as I think, as I recken.

Vt rationē ineo, ratione colligo, ex ratione conijcio: vt mea ratio est: vt mihi ostendit ratio, mihi ea ratione liquet, liquidò patet, facilè cōstat: quo die prælium commissum est, eodem naues profectæ sunt.

Consensus opinionum.

A consent in opinions: We are both of one minde or opinion.

Coniunctum est meum consilium cum tuo: consentiunt, concinnunt sententiæ nostræ: nihil à tua mea distat, dissentit, discrepat opinio: idem sentimus: à tuo iudicio mea sententia non abhorret: idem sequimur: idem est vtriusque sensus: congruit cum opinione tua sententia mea: dissensio inter nos nulla est, dissensionis aut controuersiæ nihil: conuenit inter nos. Vide consilium probatum.

Consilium, consilij scopus.

The drift of my counsell: this vvas my purpose or intent.

Consilium meum hoc fuit: hoc spectaui: hoc volui: hoc sequutus sum: id egi: huc retuli mea cōsilia, meas cogitationes: huc animū intendi, mentē direxi, cōsilia contuli: huc spectauit animus meus: hic animo meo, meisque consilijs scopus fuit. Vide, Finis cogitationū,

Consilium dare.

To geue counsell: This is my aduise if you vvill be ruled by me.

Hoc

Hoc tibi consilij do, tua de laude si laboras, tua si tibi laus curę est, cordi est: te hortor, adhortor, cohortor, suadeo, autor tibi sum: hoc est meum consilium: mei consilij hoc est: mea hæc est sententia, opinio, meus sensus, meum iudicium: ita censeo: ita mihi videtur, placet, probatur: si me audies, hoc facies: si meum consilium sequeris, mea tibi sententia si probabitur, me approbante facies: de mea sententia, meo consilio, meo suasu, me autore: si me putas quidquam sapere, non esse prorsus insipientem, aliquid videre: si meum consilium habet aliquid apud te ponderis, hoc facies, ages, aggredieris, suscipies, faciundum tibi iudicabis.

Consilium in dubijs petendum.

Counsell is to be asked in doubtfull matters, or it is to consulte with his friendes in matters of doubt.

Sapientis est, incertis in rebus, dubijs, ambiguis, obscuris, in controuersia positis, in aliqua difficultate constitutis, in ancipiti rerum statu, amicos consulere, in consilium adhibere, ad amicos referre, ad consilium amicorum confugere, amicorum consilio vti, sententiam exquirere, adire ad amicos consilij causa, petere consilium ab amicis, velle cognoscere quid amicis videatur, quid amici sentiant, qui sit amicorum sensus, quæ sententia, quid habeant opinionis, probent, censeant, iudicent, faciundum existiment.

Consilium probatum.

Counsell liked, or allowed of.

Consilium mihi tuum probatur: idem sentio quod tu, meus cum tuo sensus congruit: assentior tibi: tuam sequor sententiam: rectè sentire mihi videris: accedo ad tuam sententiam. Vide, Consensus opinionum.

Consilium arduum.

It is a harde case, I wotte not what to doe,
It is harde to saye what is best,
I am at my wittes ende.

Difficilis deliberatio est: lubricus ad deliberandum locus: consilium capere nescio: valdè hæreo: impedita deliberandi ratio: consilium abest: explicare nihil queo: expedire me nequeo: inops consilij, inops à consilio sum, consilium diu frustra quæro.

Constans.

Constant, stayed, sure.

Hominem grauem, certum, minimè mendacem, minimè falsum, studiosum veritatis cognoui, expertus sum, nihil in eo leuitatis, aut inconstãtiæ, nihil inane, varium, mutabile, inconstans: nullam animi infirmitatem, nullam sententiæ varietatem, nullam consilij mutationem deprædendi: magna præditum grauitate semper cognoui: is mihi semper visus est, qui sibi optimè constet, nihil leue committat, nihil inane cogitet, non facilè discedat à seipso, ægrè discedat à sententia, mutet consilium, susceptam opinionem abijciat, sensum deponat, de suo statu demigret, quem nulla res facilè abducat, auellat à sententia: cuius mentem huc & illuc, in hanc aut in illam partem, in quam velis partem, vtram in partem velis, non facilè flectas, ægrè traducas, cum labore torqueas, alieno tempore nihil

nihil loquitur,nihil agit ineptè,nihil nō loco, idem ei vultus in omni re,eadem in omni fortuna mens est.

Constantia laudanda.

Constaunce is praise worthie, or a commendable vertue, especially in matters of the common wealth.

Si quis in recta sententia sibi constat,ei magna laus debetur:tueri constantiam in recta sententia,laudabile est.laus est,laudis est,laudi est, laudem habet,affert, parit, cum laude coniunctum est, egregium est, præclarum est, gloriosum est : perseuerantem, pergentem, permanentem in recta sententia, laus & gloria consequitur, laus excipit immortalitatis : in recta sententia laudabilis admodum est,laudibus efferēda, ornanda,honestanda,decoranda,stabilis & firma,& perpetua permansio,tuemi acriter,& firmo in primis animo rectum consilium, sententiam cum ratione congruentem,cum salute reipublicæ coniunctam,qq. sit in repub.in rempublicam,è re communi,in rem communem,è commodo publico,quæ valeat ad rempub. ad rem communem,ad commoda publica,decu.. eximium debetur. Vide Tenax sententiæ.

Consuetudine introductum.

Brought in by custome, or mens vse.

Tralaticium hoc est, vsitatum, in more positum, more cōfirmatum:more comparatum: mos obtinuit: mos inualuit:moris est:consuetudo ita fert:more fit.

Contemni ab omnibus.

Despised of all men, or naught set by.

Planè desertum esse me, atque abiectum intelligo: nullo iam loco sum, reijcior & contemnor ab omnibus: nullius iam pretij sum: ordinem nullum obtineo: fabula sum: nullus sum: habeor in postremis, despicior, despectus sum: nullius loci sum, nullius ordinis, postremæ conditionis.

Contemptus alterius iudicij.

It is neither here nor there, or I passe not what you thinke of me.

Facilè patior te ita de me sentire, existimare, opinari: tuum hunc esse de me sensum: contemno tuam de me opinionem, sententiam, iudicium: tuam de me sententiam inanem prorsus leuemque duco: parui est apud me tua de me sententia.

Contentio.

A controuersie.

Hæc vsque ad noctem ducta controuersia est, lis, contentio, pugna, altercatio. Iudicibus turpibus fratres conflictantur. Si paulò in eum liberius inuectus sum, vindicabit me personæ turpitudo. Pater tuus ita contendit, vt nihil vnquam magis. Locus videtur esse tecum expostulandi, querendi de te, tui accusandi. Singulari studio contendisti in me. Cæsaris posteà mira contentio est consequuta: quo maximè potuit studio Cæsar incubuit, enixus est, laborauit.

Contentus patrimonio.

Content with his patrimonie, or well pleased and satisfied with that his father left him by inheritaunce.

Rem mihi à patre traditam seruare, conseruare, custodire, tueri, incolumem tueri, non imminuere, satis est, nullam patrimonij partem imminuere, nullam adimere, nihil de patrimonio detrahere, patrimoniū in eodē statu retinere, satis habeo: contētus patrimonio sum: de augēdo patrimonio nihil laboro, cogito, curo, sollicitus sum, anxius sum, curam nullam suscipio, nulla me tenet, nulla sollicitat, nulla exercet cura.

Continens sis.

Be continent, take good heede you keepe vvithin the bondes of temperance and modestie.

Caue, vide, studium adhibe, consilio vtere, diligenter animaduerte, aduerte, attende, quàm diligenter potes, ne continentię terminos transgrediare, ne longius progrediare, quàm continentiæ ratio præscribit, ne, quos tibi continentia terminos præscribit, eos transeas, transilias, traijcias, transgrediare, prætergrediare, ijs excedas, ab ijs excedas.

Continere se.

To stay, to demeine, to rule himselfe: to keepe vvithin his compasse.

Velim te cohibeas: velim te colligas: velim te ad modum reuoces, ad rectam rationem reducas, intra rationis girum reuoces, traducas,
Homo est à cupiditate omni longè remotus.

Contra votum rei exitus.

An ende vnlooked for, and contrary to that vve vvished or desired.

Non cecidit vt optabam, præter meam voluntatē, contra voluntatem, contra quàm volebam, secùs ac volebam euenit: exitum res habuit alienum à voluntate, minimè cum voluntate congruentem, aduersum voluntati: exitus rei, euentus rei voluntate non respondit: optatum exitum consequuta res non est, ad exitum non peruenit, res pro volũtate non successit: cupiditatem fortuna frustrata est, fefellit, delusit, irritam fecit: summa cupiditas, res planè nulla fuit: speratum euentum sortita res non est, nacta non est, adepta non est. Vide, Ad finem optatum.

Copiæ in discrimine.

The armie in great perill, or daunger and distresse.

Cæsar Hispaniensi bello Pompeii copias in summas angustias compulit, in maximas omnium rerum difficultates coniecit, eò redegit vt omnium rerum penuria laborarent, inopia premerentur, conficerentur, pessimè acciperentur, in maximis angustijs, difficultatibus versarentur, plurimis incommodis afficerentur, plurima sustinerent incommoda.

Copiæ genere, non numero firmæ.

A strong armie in prowesse and valiaunt courageous souldiours, but not in number of men.

Genere potius, quàm numero, firmum exercitum habebat Cæsar: frequentes admodum Cæsaris copiæ non erant, sed fortitudine præstabant: erat in castris Cæsaris virtus, multitudo non erat: non militum copia, frequentia, numero, sed eorum virtute, robore, fortitu-

fortitudine, animi præstantia, corporis viribus valebat Cæsar: numero exiguus erat Cæsaris exercitus, firmitate amplissimus.

Crassus Romæ ob auaritiam malè audiebat.

Crassus was euill spoken of, or had an ill name at Rome, because of his couetousnes.

Pessimè omnium Romanorum audiebat Crassus auaritiæ nomine: maximè omnium Romanorũ Crassus auaritiæ flagrabat infamia: aurum sitire: opes appetere maximè vnus omnium magis quàm cæteri, præter cæteros Crassus putabatur: nemini grauior, ac turpior in vrbe Roma, quàm Crasso, inurebatur auaritiæ nota, auaritiæ vitio Crassum magis, quàm quenquam alium hominum notabat opinio: incumbere ad opes, inhiare diuitiis tanto studio, quanto in vrbe Roma nemo præterea, Crassus existimabatur.

Culpa vacuus.

VVithout faulte: faultles, blameles.

In me conferenda causa non est: culpa vaco: culpam ego non sustineo: expers culpæ sum: affinis culpæ non sum: purus à culpa sum: culpam ignoro: longissimè absum à culpa: longè quàm remotus à culpa sum, tam absum à culpa, qui maximè: culpæ mihi non sum conscius: extra culpam sum: in culpa non sum. Vide, ab hac culpa vacuus.

Cum fratre locutus.

I haue spoken, or talked with your brother.

Hac de re cum tuo fratre multa verba feci, satis

prolixè ſum loquutus, longum habui ſermonem, multis verbis egi, longam habui orationem, oratio mihi cum tuo fratre fuit vberrima.

Cum imperio eſſe.

To beare rule, or to be in office and authoritie.

Geſſi maxima imperia, ſuſtinui, adminiſtraui maximas res: ſummis rebus præfui, ſumma mihi commiſſa ſunt imperia, credita, mandata, tradita: curam geſſi rerum maximarum: ampliſſimo imperio non ſemel vſus ſum: magno ſæpè cum imperio fui.

Cupiditas repreſſa.

He is ſtayed from hauing his will, or following his luſt.

Improbam illius cupiditatem refutaui, repreſſi, retudi, fregi: obieci me, oppoſui illius cupiditati, libidini, intemperantiæ: feci atque effeci, ne poſſet cupiditati ſuæ ſatisfacere, libidini obtemperare, iniquè cogitata perficere, improba conſilia ad exitum perducere: longius cupiditate proceſſiſſet, niſi incurriſſem, occurriſſem, obuiam iuiſſem, impediſſem, impedimento fuiſſem, impedimenta obieciſſem: rapiebat eum cupiditas, ego repreſſi: efferebat eum libidinis impetus, ego modum ſtatui.

Cura dubius.

I am in great doubt, or I wot not what to doo.

Anceps valdè ſum, in ancipiti cura verſor: non diſpicio, non diiudico, vtram in partem me dem, vtrum ſit rectius, conducibilius eligendum: conſilium non explico, exitum non reperio: animi pendeo: dubius

ſum,

ſum,incertus ſum : exploratum,apertum:certum non habeo : dubitatio me tenet : difficilis mihi dubitatio eſt:verſor in dubitatione : teneor implicatus:variè diſtrahor : in vtramque partem animus inclinat: dubia cogitatione,ancipiti cura diſtrahor,iactor,verſor:pendet animus meus,fluctuat,labat in conſilio,nutat,non conſiſtit, nihil habet explorati : hæreo:nihil explico: nihil expedio:quid conſilij capiam,ignoro : explicata capiendi conſilij ratio mihi non eſt.

Cura ex amici morbo.

I am ſorrie for your ſicknes.

Tuus me morbus valdè ſolicitat, ſolicitum habet, graui afficit ſolicitudine,grauiter angit,afficit, affligit, acerbè vexat : moleſtiſſimus mihi tuus morbus eſt, valdè grauis, vehementer acerbus, amarus in primis, ſummæ moleſtiæ, ſolicitudinis, acerbitatis,curæ, doloris,angoris : ſummam ex tuo morbo moleſtiam capio,ſuſcipio,traho,haurio, ſumo : tuus me morbus in magnam ſolicitudinem adducit, grauiter commouet, maximè perturbat.

Cura meas res.

Looke to my thinges , take charge of my buſines.

Proſpice, conſule, prouide rationibus meis : ſuſcipe me,reſpice fortunas meas,tuere me,complectere, foue : meæ tibi rationes curæ ſint : curam ſuſcipe rerum mearum.

Cura tuam dignitatem.

Looke, haue regarde to your owne worſhip or credite.

Omni industria contẽde, omni studio labora, incũbe toto pectore, confer huc tuas omnes vires, tua studia, curam, industriã: enitere quantum in te est, quantũ in te situm est, quantum potes, quàm potes maximè, cunctis viribus ac neruis: hoc age diligenter, da operã quàm potes diligenter, summam adhibe diligentiam, studio contende quàm licet maximo, quantum potes maximo, summo prorsus: hoc vnũ cures, labores, studeas in primis, præter cæteras res præcipuè, potissimùm, ante omnia: ne tuæ dignitatis iacturam facias, ne de tua dignitate detrahatur, ne quid aduersi dignitas tua patiatur, ne tua dignitas violetur, ne quod in tua dignitate damnum facias, ne quid feras detrimenti, ne qua labes aspergatur, offundatur honori tuo, ne quam existimatio tua iacturam patiatur, ne splendor dignitatis tuæ obscuretur.

Curæ mihi es.

I am carefull ouer you, or my minde alwayes runneth vpon you.

Nunquam de te non cogito: nullum à me tempus prætermittitur de te tuisque rebus cogitandi: nunquam mihi ex animo effluis, excidis, discedis: excubo animo tua tuarumque rerum causa: in te, tuisque rebus animus meus perpetuò est: meæ curę omnes in te sunt: te semper spectat animus meus: meæ cogitationes in te tuisque rebus consumuntur omnes.

Curæ mihi tuæ res sunt.

I am carefull of your wellfare, or I am euer thinking on your profit, and deuising how to doe you good.

Toto

Toto animo de tuis commodis, ornamentisq; cogito: tuam vtilitatem assiduè specto: hæret in animo meo de tuis commodis assidua cogitatio: si quid è re tua est, id maximè laboro: tuæ mihi res, tuæ fortunæ curæ vehementer sunt: tuæ rationes quid postulent, nunquam non attendo: omnis mihi de te, tuisque commodis cogitatio est: tuam vtilitatem meæ spectant cogitationes omnes: meas curas ad tuum commodum omnes contuli: animus meus in tua vtilitate fixus & locatus est.

Damni compensatio.

A recompense of losse, or amendes of hurte.

Ingenium intende, adhibe, confer huc, in hanc vnam curam intende, aciem ingenij tui acue, tuum ingenium, vt aliquam tam grauis damni sarciendi rationem ineas, vt, quod accepisti damnum, aliqua re compensetur,

Damnum in re familiari.

I haue lost all my goods, or all that I haue: I am vtterly vndon.

Naufragium feci rei familiaris: perijt mea res domestica: actum est de fortunis meis: prorsus euersæ sunt opes meæ: perdidi omnia bona: euertit me bonis omnibus fortuna: mearum opum nihil mihi reliquum fortuna fecit: afflictæ sunt, profligatæ, ac perditæ, extinctæ, euersæ meæ res ac fortunæ omnes.

Damnum à fortuna compensat virtus.

All your ill fortune, wisedom, and valiaunt courage will remedie or amende.

Quod à fortuna damnum accepisti, tulisti, resarciet, compensabit virtus: medebitur ijs malis virtus: quò te fortuna cõiecit, quibus te afflixit fortuna, quibus te calamitatibus implicauit fortuna, iis te virtus expediet: vt acerbam fortunam sensisti, ita dulcem, ac suauem virtutem experieris: quantũ detrimenti incommodi, calamitatis, malorũ à fortuna tulisti, tantos à virtute, atque adeò maiores fructus capies, percipies, feres, colliges.

Debilitata vi nocere.

He was litle able to doe me any harme, but yet the wretche did me all the spite or mischiefe he coulde.

Fractam illam, & debilitatam vim suam in me cõtulit: pro suarum virium infirmitate, imbecillitate, tenuitate nihil non egit, mihi vt incommodaret, obesset, damnum inferret, afferret, crearet, cunctis viribus, quæ illi supererant exiguæ, infirmæ, imbecillæ, ad meam perniciem incubuit, vsus est: vires illas, quæ illi reliquę erant imbecillę, infirmæ, parum firmæ, haud satis firmæ, collegit & contulit omnes ad me opprimendum, euertendum, affligẽdum, perdẽdum, ad exitum, ad perniciem, ad meam summam calamitatem.

Debitor meus.

He is in my debte, or oweth me much mony.

Magnam mihi pecuniæ vim debet: magno mihi ære obstrictus est: est in meis nominibus ex pecunia satis multa.

Decet amicis subuenire.

It is

It is meete, or we ought to helpe our friendes.

Laborantibus amicis opem ferre, opitulari, auxilium ferre, auxilio esse, pręsto esse, subuenire, subsidio esse, adesse, minimè deesse debemus: amicos miserijs oppressos leuare æquum est, ius est, decet, conuenit. si quid in malum ceciderit amico, accurrere, & erigere iacentem debemus.

De exitu consilij metus.

The issue and ende of the counsell is to be feared: I feare to what ende this counsell will come.

Metuo ne id consilij ceperim, quod explicare non facilè possim: exitum consilii mei extimesco: consilium à me captum, vt eum quem volo, exitum habeat opto magis quàm spero: vtinam consilio meo respondeat exitus: timeo tamē ne non ita sit: vereor, ne non optimè, quod deliberaui succedat, procedat: meum consilium quò sit euasurum, timeo: quàm fœliciter mihi euenturum sit ex consilio meo, planè nō video, equidem aduersa metuo: timeo, mei consilii qui sit exitus futurus.

De fide dubium.

Doubt of credite or honestie.

Si mihi fidem non habes, fidem apud te si non habet oratio mea, roga parentem tuum: interroga patrem, quære de patre tuo, sciscitare, cognôsce patris tui sententiam, voluntatem, iudicium exquire.

Deliquium animi.

The faynting of the heart, or he was in a sounde.

Animus eum reliquit, destituit, defecit, deliquium animi passus est, intermortuus est, defecit: animo cõcidit: ita captus omni sensu est, vt è vita discessisse videretur. Magnus animi tui motus est factus.

De malè merito benè loqui.

To prayse one, or to speake vvell of him that hath deserued yll.

Licet non optimè de me sis meritus, bene tamen tibi dixi, honorificè de te sum loquutus, mea fuit in te honorifica oratio: verbum ex ore meo nullum exijt, nisi tua cum laude coniunctum: laudes in te contuli, licet immerentem: licet immerito tuo, laudaui te, extuli, ornaui, affeci laudibus, præclara quædam in te contuli, dixi de te, quæ tibi laudem parerent: ijs de te verbis vsus sum, quę ad te honestandum valerent, vim haberent.

De rebus tuis me certiorem redde.

Certifie me, or let me heare of all your businesse and affayres.

Fac me certiorem, redde certiorem de toto statu tuo, & de omnibus consilijs: significa mihi, expone, aperi, explica, perspicuè demonstra, qui sit rerum tuarum omnium status, qui tuus animus, qui sensus, quæ consilia sint: fac, vt de tuis rebus, tuisque consilijs cognoscam, intelligam, certior fiam, ex tuis literis erudiar, instruar: imaginem rerum omnium, cogitationumque tuarum literis ostende.

Desiderium

Deſiderium vrbis.

A deſire of the citie: or I long to be in the citie.

Sum in vrbis deſiderio, deſiderio me vrbs afficit: deſiderium me tenet vrbis: vrbis cupiditate flagro: animus meus in vrbe eſt: vrbem ſpectat, æſtuat vrbis deſiderio, eſt in vrbis deſiderio,

De tuo conſilio decretum.

I haue determined to vſe your counſell.

Decreui, conſtitui, ſtatui, certum conſilium cœpi, planè animum induxi, nihil vt facerem ſine conſilio tuo: niſi te approbante, niſi de conſilio tuo, niſi tuo conſilio vterer, niterer: deliberatum eſt, conſtitutum, iudicatum, captum conſilium.

Deus optimus.

A moſt iuſt, and almightie God.

Bonitas in Deo, iuſtitia, clementia, poteſtas tanta eſt, quanta poteſt eſſe maxima: ſingulari Deus bonitate eſt, incredibili iuſtitia, immenſa clementia, infinita poteſtate: is, qui cuncta creauit, condidit, architectatus eſt: ex nihilo excitauit, formauit, finxit: is, qui omnia regit, gubernat, moderatur, temperat: is, qui rebus omnibus præeſt, dominatur, imperat, à quo vno, cuius vnius à voluntate, nutu, imperio pēdent omnia, cuius poteſtas omnia complectitur: cuius in poteſtate omnia ſunt: quem verentur omnia: cui parent omnia: omnium rerum autor, creator, conditor, opifex, artifex, effector.

Deus acta fortunet.

God speede you vvell, or prosper your doings, vvorkes, and enterprises.

Quod actum est, dij approbent, fortunent, secundent, benè velint succedere, fœlicem ad exitum perducant: dij faxint, vt id quod actũ est, fœlix, faustúmque sit, optimè succedat, prosperum euentum sortiatur: dij faueant, probent, ratum esse velint, actum fœliciter, quod actum est: vtinam ex hac re contingant ea, quæ cupis, optata omnia contingant, nihil contra voluntatem eueniat, omnia secunda fluant, summa fœlicitas emanet.

Deus adest laborantibus.

God is present vvith the afflicted, or ready to helpe all suche as be in aduersitie and neede.

Afflictos facilè diuina pietas excitat, egentibus opem fert, miseros subleuat, desperatione debilitatos confirmat, fulcit, sustinet, laborantibus subsidio est.

Deus præstò in aduersis.

God is at hande in aduersitie.

Perfugium habemus ad Deum in nostris calamitatibus, trãquillitas est in nostris tempestatibus, naufragium timentibus portus est: afflictos diuina pietas excitat: amplissima est diuina liberalitas: patet omnibus, latissimè patet, amplissimè patet, vbique locorũ est, nusquam non est diuina benignitas: cui non benigne facit Deus? ecquis est, in quem Dei benignitas non extet, qui diuinam benignitatem non senserit, expertus

pertus sit, re ipsa cognouerit, perspicuè viderit, clarissimè perspexerit? nemo diuinam opem frustrà implorauit, præsto est, adest, opem fert, opitulatur, subuenit Deus inuocantibus eum, implorantibus eum, cōfugientibus ad eum.

Diescit.

The daie beginneth to appeare, or it is breake of daie.

Lucessit, albescit dies: dies appetit, aduentat, adest: crepusculum matutinum adest: sol exoritur: tenebras fugat lux: nocti succedit dies: noctem subsequitur dies: abeunte nocte dies aduenit, lux apparet.

Dies constituta.

A certaine daie appointed, or a set daie.

Ad diem constitutam, præstitutam, præfixam, præscriptam, pactam de prouincia decedemus: ea, qua constitutum est, qua conuenit inter nos, die proficiscemur, in viam nos dabimus.

Difficilia imperas.

You commande or bidde me doe such thinges, which no man is able to bring to passe.

Soles ea mihi imponere, quæ sustinere vix possum, ea imperas, præcipis, iubes, mandas, committis, quæ vires meas exuperant, quæ præstare, perficere, exequi vix possum: magni negotij est, summæ difficultatis, operæ non exiguæ, ad exitum ea perducere, quæ in mandatis à te habeo: dura nimis, grauia, difficilia mihi imperas.

Difficilis in consuetudine.

Your company is nothing playsant, or you are so froward and churlish that no man careth for your company, or desiereth to be acquainted with you.

Nimiùm acerbus es, nimiùm in consuetudine difficilis, durus, asper: tua consuetudo difficilior est: abest consuetudo tua ab omni suauitate: non ea est consuetudo tua, quæ propter suauitatem expetatur: minimè iucunda est, amara potius atque odiosa tua consuetudo: quis naturæ tuæ peruersitatem in cõsuetudine ferat? quis te possit vti, homine omnium difficillimo, seuerissimo, asperrimo? quis tuam consuetudinem expetat, carentem omni suauitate, nulla re iucundam? asperitatis ac peruersitatis tantum habet natura tua, quantum in consuetudine ferri vix possit, vel potius planè non possit: vsus tibi nullo cum homine diuturnus intercedit, ita difficilis, ac durus es, ijs moribus, eo præditus ingenio. Néque benignitas, neque copiæ apud te sunt. Vide Morosus.

Dignitas imminuta.

A dishonoring, or honor impayred.

Violari tuam dignitatem, imminui, offendi, lædi, oppugnari, damno affici, iniurias pati, detrahi de tua dignitate, minui, adimi, auferri, iacturam fieri tuæ dignitatis iniquè patior. Nihil vnquam feci, quod contra tuam existimationem esse vellem. Si res exiget, pro tua dignitate vitam libentissimè profundam.

Dignitas spectanda.

An

An especiall regard of your honor and honest estimation.

Hoc primùm te moneo, vt referas omnia ad dignitatem: propositum decus tibi sit ante omnia, dignitati seruias, dignitatem spectes, sequaris, dignitatis rationem habeas, nihil cogites à dignitate disiunctum, nihil alienum à dignitate, nihil non cum dignitate, non cum dignitate coniunctum: tuorum consiliorum, tuarum actionum finis, terminus, scopus honor sit: prima tibi sit, præcipua, antiquissima dignitatis cura.

Dignitas inuisa.

Honor enuied at.

Sunt, quos meus in hac republica splendor offendat: quos mea dignitas angat, vrat, torqueat, excruciet, pungat, grauius afficiat: quibus dolori sit honor meus, quos amplitudo mea lædat, malè habeat, dolore molestiaq; afficiat.

Dignitate integra, fortunæ damna contemno.

To keepe my honor I care not what losse I suffer.

Sit modò dignitas incolumis, adimi de fortuna, detrahi de fortuna, fortunam comminui, fortunarum iacturam fieri, fortunæ detrimenta non recuso, contemno, nihili duco, in minimis pono.

Dignitatis meæ auctor es.

You were my first founder, or all my preferment and authoritie first began by you.

Dignitati meæ præfuisti: à te primum fluxit, manauit, profectus est, ortus est, natus est, extitit honor meus: tu meæ laudis origo, fons, principium fuisti.

Dignitati tuæ seruiet.

I will so order the matter that he shall set all his minde to the furtheraunce of your honor.

Dabo operam, vt Francisci animum ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducam, conuertam: vt Franciscus omnia sua studia tuam ad dignitatem conferat: tua in dignitate figat, locet, statuat, ponat: tuæ dignitati dicet, dicata velit, assignet, dedat.

Dignus qui ametur.

Worthy to be beloued.

Est qui ametur: dignus est qui diligatur: amore hominum dignus est: sunt in illo, quæ amorem concilient: possidet quæ ad colligendam beneuolentiam valent. Ad alliciendas voluntates, animos adiungendos, comparanda hominum studia, nihil desiderat, nihil in eo requiras, nihil ei deesse dicas: causas amoris in eo plurimas, odij nullam inuenias: ferreus sit, auersus ab humanitate, expers humanitatis, prorsus homo non sit, qui non illum amet, amore complectatur.

Diligentia desiderata.

I require greater diligence.

Velim te plus diligentiæ, curæ, operæ, industriæ, studij in scribendo ponere, locare, collocare, consumere: plus diligentiæ ad scribendum conferri à te velim

lim: operam nauare ſtudio maiore in ſcribendo cuperem: tuis in ſcriptis diligentiam deſidero, requiro, maiorem poſtulo: non ſcribis accuratè, non diligenter, non ſtudioſè, non ea, qua opus eſſet, quam res poſtulat diligentia: minus quàm oporteat diligenter: impiger in ſcribendo non admodum es. Scias ſuſpectum te mihi eſſe nomine negligentiæ.

Diſcedere.

To departe.

Mihi eſt in animo diſcedere, digredi, abire, proficiſci, locum mutare: de diſceſſu cogito: diſceſſum ſpecto, in animo habeo, meditor: animus eſt in diſceſſu.

Diſiunctio.

A ſeuering or parting.

Dirimere coniunctionem, diſcindere, diſſuere, diſiungere, ius omne cõiunctionis tollere, delere, extinguere. Magno locorum interuallo diſiuncti ſumus. In ijs locis ſum, quò propter longinquitatem tardiſſimè omnia perferuntur.

Diuerſa œconomia.

A diuers way, or an other maner and faſhion in gouernance and ordering of my houſe.

Genus rationum mearum diſſimilitudinem habet cum illius adminiſtratione domeſtica: non eadem in re domeſtica tuenda, in adminiſtrãda re familiari, in curanda domo, in gubernatione domeſtica vtriuſque ratio eſt.

Diuerſa ratio.

Another way of gouernaunce.

Dissentimus in regenda prouincia: in administratione prouinciæ diuersa est vtriusque ratio: non eadẽ sunt vtriusque instituta: longè distat ab illius institutis mea consuetudo: aliud ipse spectat, aliud ego sequor: institutorum nostrorum dissimilis, diuersa ratio est.

Diuersæ sententiæ in concordibus animis.

Our harts are one, but our opinions are diuers: vve two are of contrary opinions, yet otherwise we loue one another well ynough, and agree together like friends.

Discrepant sententiæ nostræ, cùm tamen æquè nos inter nos amemus, mutuus inter nos amor sit: opinione dissentimus, non voluntate: nostræ sententiæ non congruũt, cùm animi tamen nostri in amore consentiant: non idem sensus est, non idem iudicium, eadem tamen voluntas, eadem beneuolentia: opinionum est inter nos dissimilitudo, non animorum, diuersa sentimus, eadem tamen volumus: animorum consensus inter nos est, opinionum dissensio.

Diuersæ opiniones.

Diuers opinions.

Opinionum dissentione discrepamus: non idem, aliter, diuersè, variè sentimus: non quod tibi, mihi idẽ videtur, placet, probatur.

Diuites gratiosiores.

Riche men are more in fauour, or more preferred and regarded.

Ea tem-

Ea temporum ratio eſt, vt,qui plus opibus valent, magis excellant gratia, gratioſiores ſint: conferunt libēter homines ea ſtudia in locupletiores, ditioribus fauent,ſtudent,ſuffragantur,præſto ſunt.

Diuitiarum hoc,non virtutis eſt.

It is riches,and not vertue that wrought it.

Copiarum hoc potius eſt,quàm virtutis: non hoc in virtute,ſed in opibus ſitum eſt.facit hoc non virtus, verùm copia diuitiarum: diuitiarum,non virtutis hoc eſt: pertinet hoc ad copias,non ad virtutes: non hoc virtus,verùm diuitiæ præſtant: pendet hoc a diuitijs, non à virtute.

Diuitijs plurimum tribuendum.

Riches muſt be muche made of.

His temporibus magni faciendæ,pendendæ; æſtimandæ diuitiæ ſunt: commendat nobis rem familiarem temporum ratio: ea ratio temporum eſt,vt plurimum diuitijs tribuendum videatur, vt diuitias non in poſtremis habere debeamus, non vltimo loco ponere,non in minimis ducere,conſtituere,locare.

Diuturnam vitam omnes expetunt.

All men deſire a long liſe.

Ecquis eſt,qui diuturnam vitam non amet,non cupiat,exoptet, expetat? cui diuturna vita non placet? quis diu viuere non cupit? diu vitam agere, diuturnam ducere,traducere,vitam agere,trāſigere, viuere, diuturna lucis vſura frui, diu inter homines agere, cum hominibus verſari,in terris morari?

Doleo propter te.

I am ſorie for thy ſake.

Tua cauſa doleo, dolor meus à te eſt, prouenit, proficiſcitur, manat, fluit: tu paris dolorem meum: tua cauſa fit, vt doleam.

Doleo exitio patriæ.

I am ſorie for the ruine of my countrey.

Nemini concedo qui maiorem ex pernicie & peſte patriæ moleſtiam traxerit: exitio patriæ ita doleo, vt nemo magis, vt nemini concedam: tam doleo patriæ interitu, quàm qui maximè: angor, torqueor, crucior, ſollicitor, afficior pernitie patriæ, ſic vt nemo vnquam ex vllo caſu, aut vlla omnino calamitate plus hauſerit acerbitatis, grauius doluerit, maiorem dolorem ceperit, maiorem in ſollicitudinem inciderit, deuenerit, adductus ſit.

Dolor ex alterius dolore.

Your ſorrowing maketh me heauy, or your ſorrow and payne greeueth me as much as it doth you.

Doleo dolorem tuum: dolore tuo mœreo: ſocius ægritudinis tuæ ſum, particeps ſum mœroris tui, de tuo dolore communico: communis, par, ſimillimus: idem vtriuſque dolor eſt: pariter ac tu, æquè ac tu, ſimiliter ac tu, non aliter ac tu, non ſecùs ac tu, idem vt tu, nihilo leuius quàm tu, doleo, dolorem ſuſcipio, capio, traho, haurio.

Dolore extingui.

To be conſumed with ſorrow and payne.

Dolore

Dolore contabeſco, conſumor, conficior, perimor, exanimor: me dolor interimit, perdit: mihi dolor vitæ finem facit.

Dolores nimios ſuſtineo.

I am ouercharged, or ouerwhelmed with ſorrow.

Tantum doloris, ſollicitudinis, acerbitatis ſuſtineo, quantũ ferri vix poſſit: ferendo dolori non ſum, impar dolori ſum: impares dolori vires meæ ſunt, ad dolorem infirmę, dolore franguntur, vim doloris minimè ſuſtinent: roboris in me tantum non eſt, vt acerbitatem tam grauem queam perpeti. Vide, Extremè angor.

Dolor immodicus.

An immoderate or vnmeaſurable ſorrow and paine.

Dolorem ſuſtineo, patior, fero grauem, acerbum, eiuſmodi, qui ferri vix poſſit: dolorem incredibilem capio, ſuſcipio, haurio, traho: dolore angor, conficior, excrucior, torqueor, affligor, vexor, perturbor, frãgor: omnes mentis meæ partes dolor exagitat, diuexat, perturbat, afficit: vexor in acerbiſſima ſollicitudine: dolore diſcrucior, diuellor, dirumpor, perimor, interimor, exanimor, cantabeſco, opprimor, perdor: concidit animus meus ictu doloris, vi curarum, ac ſollicitudinis, concurſu moleſtiarum labefactatus, atque conuulſus: ita cecidit animus meus dolore perculſus, vt nulla res eum ad æquitatem poſſit extollere: iaceo in mœrore, ac ſordibus: curis maceror: ægritudine cõtabeſco: ęgritudine animi ita laboro, vt ſanari vix poſſim, vel potius planè non poſſim, vt ſpem ſalutis ami-

ſerim,ſalutem deſperem, de ſalute deſperem, ſpes ſalutis nulla omninò ſuperſit: verſor in ſummo dolore, acerba ſollicitudine, graui cura,moleſtia,ægritudine, angore,mœrore.

Dolores tui mihi ſunt acerbi.

I am ſorrie for your heauines, ſorrow and greife.

Tuæ me calamitates grauiter afficiunt: tua mihi nimis aduerſa fortuna grauiſſima eſt: tua me torquent infortunia: tuis angor, excrucior, affligor, ſollicitor, vexor malis: miſerrimum tuæ vitæ ſtatum iniquiſſimè fero: ex tuis miſerijs dolorem haurio acerbiſſimum: tuæ me miſeriæ miſerrimum faciunt: miſer ſum tua miſeria: dolor meus ex tuo dolore pendet,tuis doloribus doleo,angoribus angor.

Dolor renouatus.

Sorow renewed.

Dolorem meum refricaſti: ſopitum excitaſti dolorem meum,quem dies iam penè ſanauerat.

Domi lates.

Thou lurkeſt at home.

Nunquam exis, nunquam egrederis cubiculo: pedem è limine cubiculi nunquam efferს: extra cubiculum nemo te vnquam videt,perpetua tibi ſedes cubiculum eſt, nunquam euolas è tuo illo nido.

Dubia in aliud tempus vita.

It is vncertaine whether I ſhall liue vnto that daie,or I am not ſure to liue ſo long.

Optandum

Optandum eſt,vt ad id tempus ducere ſpiritũ poſſim : incerta ad aliud tempus vita eſt: vereor,ne non tam diu viuam, ne non vſque eò vitam producam:vitam quis mihi præſtat ad illud tempus?explorata mihi ad eam diem vita non eſt.

Dubito de capeſſenda republica.

I am in doubt whether it be beſt to take the charge of the commonwealth vpon me or not.

Integra mihi res non eſt ad conſulendum,capeſſam necne rempublicam : non eſt mihi libera , non expedita,nõ ſoluta de capeſſenda repub.deliberatio: liberam non habeo capiendi conſilij facultatem , de ſuſcipienda,gerenda,adminiſtranda republica:teneor implicatus , nec mea expedire conſilia poſſum de ſuſcipienda republica.

Dubium de ſtudijs alicuius.

I doubt what ende his ſtudies will haue.

Vereor,ne quam de tuis ſtudijs expectationẽ concitaſti , hanc ſuſtinere ac tueri non poſſis : vereor vt ſtudia tua expectationi hominũ reſpondeant : timeo ne ſtudiorum tuorum euentus ab hominum opinione diſſentiat,alius,atq; expectatur,exiſtat:timeo, ne tuis ſtudijs non is,qui expectatur exitus contingat:magna me dubitatio tenet,ne non eum, quem homines expectant,ſtudia tua fructum ferant.

Dubius animi.

All doubtfull,or vncertaine what to doe.

Ancipiti cura diſtrahor, iactor, verſor. animi pen-

deo, incertus animi ſum:pendet animus,inclinat huc illuc, fluctuat, iactatur, incertus eſt, quid conſilij capiat,vtram in partem me dem,ignoro:explicare conſilium,expedire me ex hac deliberatione,exitum meę cogitationis inuenire non poſſum, diſtrahunt me diuerſa conſilia: in vtramque partem ita multa ſuccurrunt, vt difficilis admodum ſit, minimè expedita, minimè explicata,minimè explorata,minimè certa, perobſcura,haud ſatis aperta deliberatio.

Dubius belli exitus.

The ende of warre is doubtfull,or no man is ſure when this warre will ende,or who ſhall haue the victorie.

Dubium eſt,dubitandum eſt,dubitari poteſt,in dubio eſt,eſt cur dubitetur,dubitationem res habet,ambiguum eſt,in dubio verſatur, in dubio poſitum eſt,in ambiguo,in ancipiti:planè non cōſtat,non patet,non liquet,apertum non eſt,perſpicuum, dilucidum, dilucidè nō patet, qui ſit belli exitus futurus:de belli euētu poteſt ambigi, certò diuinare, conijcere, augurari, affirmare non licet: exploratum non eſt,certa coniectura non eſt: in dubium vocari poteſt euentus belli, in dubium venire, in dubitationem adduci: poteſt in vtramque partem iudicari de belli euentu: anceps de belli exitu,ambigua,dubia,incerta,difficilis admodū, obſcura, quæ obſcuritatis & erroris habeat multum: non ſimplex,non aperta, non perſpicua, parum certa diuinatio,coniectura,opinio eſt: coniecturam facere de belli exitu cui licet? quid in bello caſurū ſit, vtram in partem inclinatura victoria, nemo diſpicit, videt, intelligit, nouit: exitum belli certa ratio non oſtendit,non promittit.

Dux

Dux ad virtutem.

A guyde to vertue.

Omnem meam cogitationem in oſtendenda tibi virtute fixi & locaui, in tradenda tibi virtute ſum totus: hoc vnum mea ſpectat induſtria, theſauros tibi virtutis vt aperiam ac tradam: verſor in hoc ſtudio totus, vt aditum tibi ad virtutem patefaciam, vt ornem te virtute, vt ad virtutem, duce me, peruenias: hac in re, atque cura mens mea tota verſatur, quæ ſit dignitas, qui ſplendor, quæ pulchritudo virtutis, me magiſtro vt intelligas.

Egeſtas honoribus impedimento.

Pouertie is a ſtay or hinderer of honor.

Sæpè aditum ad honores intercludit inopia, viam impedit, curſum moratur: ſæpe impedimento fuit: ſæpe fecit inopia, commiſſum eſt inopiæ culpa, ex inopia contigit, ne liceret ad honores peruenire, ne liceret expeditè progredi, procedere, curſum tenere in honorum via: egeſtas, rei domeſticæ difficultas, rei familiaris anguſtia, domeſticæ difficultates euntibus ad honores impedimenta obiecerunt. Vide Paupertas honoribus excludit.

Egregiæ equeſtres copiæ.

A noble and valiant troupe of horſemen.

Vix credas, quantum in prælio valeat hæc equitum turma, quàm firma ſit, cuius roboris, quorum neruorum: hac equitum turma, hoc equitatu, hac equitum manu noli putare quicquã acrius, aut pugnatius eſſe.

Egregiè.

Excellently, greatly, passing well, noble or honorable.

Summè, vehementer, valde, magnopere, etiam atque etiam, maximè, mire, mirificè, incredibiliter, singulariter, vnicè, egregiè, insigniter, cum primis, in primis, præcipuè, apprime, admodùm, maiorem in modum, mirum in modum, mirandum in modum, supra modum, extra modum, oppidò, eximiè, maximopere, non vulgariter, non mediocriter, non minimè, non ad aliorum exemplum, non ex communi consuetudine, non vt solet, non vt mos est, non more, non ordine, non aliorum exemplo, extra morem, extra ordinem, præter exemplum, sic vt nihil magis, nihil supra, nihil vltra, nihil tale, nihil ad aliud, vt conferri nihil possit, simile, par, æquale, eiusmodi, eius generis nihil sit.

E labore immortalitas.

Out of trauayle immortalitie, or the paynes you haue taken in your noble worke, shall neuer be forgotten: but your labour shall be remembred and commended for euer.

Quos nunc suscipis labores, ij te apud posteros æterna gloria donabunt, afficient, illustrabunt, ornabunt, decorabunt, tuum nomen immortalitati commendabunt, ab hominum obliuione, ab interitu vindicabunt, tui nominis famam in omnia secula dissipabunt, posteritati tradent, omnium sermonibus & scriptis exornandum, extollendum, celebrandum, honestandum, tuendum: consequêris tuis laboribus, ne qua dies, tui nominis famam delere possit: vt omnis de te

de te posteritas loquatur: nullæ tuas laudes literæ taceant, de tuis laudibus conticescant.

Elatus diuitijs.

Puffed vp in pride with worldly wealth.

Tuæ te efferunt diuitiæ, non tuæ propriæ virtutes: insolentia tua, arrogantia, superbia, non ex animi, non ex ingenij tui præstãtia, sed ex opibus tuis manat: istã insolentiam, elationem animi, spiritus immoderatos in te parit: non vlla tua singularis, aut pręcipua facultas, meritorúmue conscientia, sed copia, diuitiæ, opes, res domestica, plus æquo maior, cõmodorum abundantia, animos tibi facit: tollit te ad istam animi intemperantiã res familiaris: non vlla tua propria bona, non artis honestæ scientia, aut virtutis vlla possessio.

Eloquentia Ciceroni fructuosa fuit.

Eloquence was gaynefull or profitable to Cicero.

Fuit Ciceroni eloquentia summo emolumento, peperit emolumentum, commoda, vtilitatem, copias, optima quæquæ, emolumentum attulit, profuit, fructum dedit, tulit, attulit, comparauit: magnum ex eloquentia fructum Cicero tulit, cepit, percepit, collegit, consecutus est: admodum Ciceroni fructuosum fuit eloquentia, vtilitatis eximiæ, commodorum neq; paucorum neque mediocrium.

Eniti summo studio.

To endeuour earnestly: to trauell in a matter with might and mayne, or to labour and deuise all the wayes he can possible.

In arcem huius causæ, in summan causam totus inuadam, omni vi, toto pectore incumbam: agam pro mea virili parte, pro mea parte, pro virili, pro viribus, toto pectore, cunctis viribus, omnibus neruis, omni meo studio, quantum est in me, quantum in me positum, in me situm, quoad possum, quantũ valeo quãtum quidem ipse præstare possum, quantum consequi viribus licet: contendam omni studio: summè conabor: enitar omnibus tum animi, tum corporis viribus: conferam ad hanc rem omnes vires, omnia studia, quicquid erit in me industriæ, operæ, curæ, diligẽtiæ: minimè parcam viribus: elaborabo pro viribus: nullum studium, nullam operam, aut industriam prætermittam: dabo operam, quantum in me erit, pro eo quod in me erit.

Error pernitiosus.

To doe amisse herein is very perillous, if you shall doe otherwise then well, great daunger & harme is like to ensue therevpon.

Offensionem in primis esse periculosam, magno tibi futuram damno, tibi affirmo: si quid offendes, errabis, secus efficies, cõmittes, peccabis, labaris, si culpam cõmiseris, si quam in culpam incideris, si te minus honestè, minus sapienter gesseris, si te, quem non decet, eum præbueris, magno tibi constabit, non mediocre damnum, uon leuis iactura consequetur: tuam culpam graui damno solues, magna mercede redimes, grauissimè lues.

Error pueritiæ.

The

The error and misdoing of youth.

Multa leuiter,inani quodam studio,temere in pueritia committuntur: in prima ætate,primis annis,teneris annis,primis temporibus ætatis, à pucro,ab ineunte ætate, ineunte pueritia,primo ætatis initio. Si ducem & auctorem , & moderatorem aliquem puer habuissem,non ita grauiter errassem.

Es mihi carissimus.

Thou art dearest vnto me, or I loue thee best of all men,or aboue any thing in the world.

Nemo est omniũ , in quem magis,quàm in te mea sit propensa beneuolentia,qui mihi te sit carior,quem ego vehementius,quàm te diligam:quem ego maiore,quàm te beneuolentia prosequar,magis ex animo, quàm te diligam.

E studijs morbus contractus.

Sicknes gotten by ouermuch studie.

Ægrotabat ex labore studiorum : iacebat ob studiorum labores : morbo languebat ex intemperantia studiorum : malè se habebat , inciderat in morbum, quòd immoderatè studijs vteretur,quòd ei studiorum modus esset nullus , quia minimè sibi parceret in studijs : affectus grauiter est , valetudine vtitur aduersa, decumbit oppressus morbo,laborat morbo,valet pessimè ex nimia studiorum consuetudine , ex immoderato vsu.

Euentum fœlicem opto.

I wishe a happie ende.

Quod actum est,dij approbent, succedat,ex animi

ſententia ſuccedat, optimè, egregiè, præclarè cadat, procedat, optatum finē ſortiatur: exitum habeat cum animo tuo congruentem, quem ipſe vis euentum ferat: acta dij fortunent, confirment, rata velint.

Euentus rei fœlix erit.

The ende ſhall be happie.

Exitum res habebit, mea quidē vt ſpes fert exoptatum, fœlicem, qualem volumus, & optamus: res ex animi noſtri ſententia ſuccedet: ſucceſſu res, quo volumus, eo concludetur, ac terminabitur: euentus rei erit optimus: euadet res, quò volumus: non aliter cadet, ac volumus: ſequetur id, quod optamus: optatis fortuna reſpondebit: res conſequetur exitum, euentum, finem exoptatum.

Euentus dubius.

The ende is doubtfull.

Vtrum res eum finem qui principio reſpondeat, à principio non diſſentiat, non diſcrepet, habitura ſit, ignoro: futurúmne ſit, vt extrema cum primis contexantur, coniungantur, extrema primis reſpondeant, conſentiant, ſimilia ſint, non diſpicio: quem ſit exitum res habitura, ſimilémne, an diſſimilem principio, ſuſpicari non poſſum.

Ex alterius virtute ſpes.

Hope in the vertue, or prowesſe of other.

Tua præclara facta, actiones egregiæ, tuæ res geſtæ, ea quæ geſſiſti, quæ tuæ ſigna virtutis oſtendiſti, virtus re perſpecta, perſpicuis teſtata ſignis, præclaris factis declarata, excitauit eos, qui antea timore perculſi

culsi iacebant: animos à metu ad spem reuocauit, retulit, reduxit, transtulit.

Ex auaritia multa mala proueniunt.

From coueteousnes springeth much euill.

Parit auaritia multa mala: existunt: nascuntur, proficiscuntur, proueniunt, effluunt, emanant, exoriuntur ex auaritia multa mala: multorũ malorum causa, origo, principium, fons, radix auaritia est: multorũ malorum causa referenda ad auaritiam, conferenda in auaritiam, adscribẽda, assignanda, tribuenda auaritiæ est: culpam sustinet auaritia multorum malorum.

Ex bello calamitas.

Of warre miserie.

Summis difficultatibus regionem vniuersam bellum affecit: magnæ calamitates ex bello, belli causa, propter bellum acciderunt, euenerunt, obuenerunt, contigerunt, obtigerunt, illatæ sunt, allatæ sunt, oblatæ sunt vniuersæ regioni: vniuersam regionem in multas difficultates bellum coniecit, impulit: exitiosum, perniciosum, calamitosum vniuersæ regioni bellum fuit: exitio fuit, damno, detrimento, incommodo, calamitati. Vide Belli calamitas.

Excandescentia.

Great anger and wrath.

Exarsit iracundia vehementi: exarsit vehementer: excanduit, commotus est, incensus, inflammatus ira vehementi: furere cœpit, furor illum inuasit.

Excellens.

Excellent, or passing good.

Virum excellentem, præſtãtem, omnibus,vt aiunt, numeris abſolutum,omni laude inſignem,participem omnium virtutum,cui nihil deſit,in quo nihil deſideres,quem eſſe virum ſingularem dicas.

Ex concordia ſpes victoriæ.

Where vnitie is,there is hope of victorie,where men agree well together, they are more like to haue the vpper hand.

In noſtra concordia ſpem maximam pono victoriæ, ex veſtra concordia victoriam ſpero, veſtra concordia victoriæ mihi ſpem affert: vt ſpero, pro mea quidem ſpe, quantum quidem ſpero,niſi me ſpes fallit, vt animus meus auguratur,quemadmodũ ipſe mihi polliceor,victoriã pariet, afferet, veſtræ cõcordiæ fructus,niſi mea ſpes infirma prorſus eſt, erit victoria.

Excuſatio non neceſſaria.

A needles excuſe.

Superuacanea fuit apud me tua excuſatio:officium excuſandi ſine cauſa ſuſcepiſti: non erat cur te excuſares,cauſam excuſandi nullam habuiſti: minimè neceſſaria fuit excuſatio tua: tuam excuſationem non deſiderabam,non requirebam,non expectabam.

Ex dignitate factum.

Done noblie,a noble acte.

Nihil feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſimæ dignitatis,omnia tua facta cum dignitate vehementer conſentiunt: in omnibus rebus maximè dignitatem ſpectaſti: in omnibus tuis factis propoſita tibi dignitas fuit,omnia tua facta ad dignitatem retuliſti: quæcunque egiſti,ad dignitatem omnia ſpectârunt: gloria tibi

ſemper prima fuit,antiquiſſima fuit,maximi fuit:ante omnia,ſummo loco, primum apud te locũ obtinuit: ſcopus tibi ac finis in omni re dignitas fuit: tuarum actionum norma quædam & regula dignitas fuit:tua ſunt eiuſmodi facta,vt eximijs ornanda præconijs,diuinis decoranda laudibus,tollenda ad aſtra,ad cœlum efferenda videantur:tuis omnibus factis æterna gloria,immortalitatiſque præmia debentur.

Ex gula obeſus.

Of much eating and drinking commeth a groſſe and fatte lumpiſh body.

Niſi cibo parcas, à cibo abſtineas, cibum minuas, de cibo detrahas, tibi temperes, modereris in cibis, niſi cibo parcius vtare, pinguior euades, quàm ſatis eſt,nimium pingueſces, nimiam pinguetudinem indues,obeſior fies,nimia pinguedine laborabis.

Ex iniuria gloria.

Of iniurie renowme.

Illuſtrabit amplitudinem tuam hominum iniuria: quò magis obſcurare atque extinguere tuam dignitatem iniqui tui conabuntur, eò plus etiam ſplendoris accedet: eò clariùs elucebit, eò patebit illuſtriùs, eò fiet clarior atque illuſtrior.

Ex intellecta fraude deſperatio.

When he ſawe himſelfe intrapped, or deceiued, he would haue ridde himſelfe of his life.

Vbi ſe fraudatum, in fraudem inductum, fraude circumuentum, irretitum, captum, deceptum, fictis verbis inductum, fallacijs à veritate abductum ſenſit, intellexit,vidit,cognouit,vbi fraus illi patuit,manifeſtæ fallaciæ fuerunt, patefactus dolus: ipſe ſibi manus

afferre conatus eſt, voluntariam ſibi mortem inferre, conſciſcere, voluntaria morte vitam abrumpere.

Ex inimicorum iniuria laus.

The iniurie of thine enemies ſhall ſet foorth thy prayſe, fame, and renowme.

Illuſtrabit amplitudinem tuam inimicorum iniuria, quò plus ad te oppugnãdum ſtudij conferent inimici tui, quò erit grauior in te impetus inimicorum tuorum, quò ſtudioſius euertere te, ac tua commoda conabuntur, quò acrius ac vehementius in te erumpent, irruent, incurrent, inuadent, impetum facient, impreſſionem facient, ſuas vires intendent, ſuos neruos contendent, ſeſe immittent, eò maior ad tuam exiſtimationem fiet acceſſio, eò plus accedet ad tuam laudem, eò clarius tuæ ſplendor dignitatis elucebit, eò clarior atque honoratior euades, eò tua laus fiet illuſtrior, eò magis augebitur, amplificabitur, extollетur, illuſtrabitur honor tuus, eò ſublimius tui gloria nominis aſcendet, extolletur, efferetur, euehetur, eò plus amplitudinis, dignitatis, gloriæ, laudis, exiſtimationis, honoris acquires, obtinebis, aſſequêris, conſequêris, adipiſcêris, tibi parabis, tibi paries, tibi comparabis.

Exiſtimatio honeſta in ſenatu.

A good report, or an honeſt eſtimation in the Senate.

Pulcherrimè ſtabis in ſenatu, ſi tuorum aduerſariorum ſententiam fregeris: locum obtinebis honeſtiſſimum in ſenatu, magna tua erit in ſenatu exiſtimatio.

Exitij

Exitij tuorum autor es.

Thou arte the vndoing, the vtter ouerthrowe of all thine.

Tu tuorum omnium ſalutem afflixiſti: tuos perdidiſti: tuos euertiſti fortunis omnibus: tuis exitium peperiſti, perniciem attuliſti, ſummam calamitatem ac peſtem importaſti: in vltimum diſcrimen, in miſerrimum ſtatum, in hanc omnium deterrimam, omnibuſque miſerandam conditionem tuos adduxiſti.

Ex longa deliberatione, nihil.

After long deliberation nothing done.

Diu deliberatum, actum, conſultatum eſt, perfecta tamen, confecta, abſoluta, profligata, ad finem perducta res non eſt: exitum res non habuit, ad exitũ non venit, perducta non eſt: deliberationem conſecuta res non eſt.

Ex minore cura in grauem coniectus.

From a leſſer care, to a greater.

A minore cura maximam ad ſollicitudinem traductus ſum: curam equidem antea ſuſtinebam, ferendam tamen, hunc ſollicitudine premor, quę ferri non poſſit: hac ſollicitudine nihil grauius. vincitur animus meus, planéq; frangitur hac tam graui ſollicitudine.

Ex omnibus cauſis tibi amicus ſum.

I am thy friende in all cauſes, or there are a thouſande reaſons vvhy I ſhould loue thee.

Omnibus tibi necessitudinis causis cōiunctus maximè sum, omnes mihi necessitudinum causæ, omnia necessitudinis summa iura, omnes necessitudines intercedunt: mihi tecum omnia sunt: ita multæ mihi tecum consuetudinis causæ sunt, vt nihil possit esse cōiunctius. amo te singulariter omnibus de causis, omnibus ad te amandum causis adducor, moueor, impellor, causam tui diligendi nullam non habeo. quid est, cur te non etiam atque etiam diligam.

Experientia magistra multarũ rerum.

Experience the scholmaistresse of many things.

Multa discuntur, percipiuntur ab experientia: multarum rerum scientia, cognitio, intelligentia, doctrina capitur, sumitur, hauritur ab experientia & vsu: multa cognoscuntur experiētia duce: multarum rerum magister est vsus, multa docet, ostendit, patefacit, viam aperit vsus ad multarum rerum scientiam: erudimur valdè, instituimur, expolimur: ex ignorantiæ tenebris educimur, ad scientiam multarum rerum experientia duce peruenimus: multarum rerum scientiam consequimur, experientiam secuti, experientia docti, experientia magistra.

Experientia vacans.

Without experience.

Rudis es, imperitus, nullius experientiæ, vsu minimè doctus, vsu expers, rudis in rebus, nouus tanquam hospes, planè peregrinus, ab vsu rerum imperitus, parum versatus in rebus, rerum insciens, ignarus, expers: peregrinaris in rebus: res non tractasti: experientia vacas: vsum non habes.

Expers

Expers literarum.

Vnlettered, or vnlearned.

Literas planè non nouerat: parum in via literarum processerat: literas vix attigerat, gustauerat, literas à limine salutauerat: ex abditis literarum fontibus aut nihil, aut parum hauserat: literis erat mediocriter, leuiter, vulgariter, non admodum, haud satis, haud multum eruditus, institutus, instructus: planè, perfectè, absolutè, exquisita quadam ratione, excellenter, egregiè, præclarè literatus non erat: longè aberat à perfecta literarum scientia: reconditæ, exquisitæ, singulares, egregiæ in illo literæ non erant: vulgares in illo literæ erant.

Ex rei euentu homines de te existimabunt.

Of the successe, or as it falleth out in the ende, so men will iudge, esteeme and thinke of you.

Ex euentu homines de te existimabunt: rei exitum hominum iudicia consequentur: vt res cadet, vt succedet, vt euenerit, vt ceciderit, ita de te homines iudicabunt: qualis rei finis, exitus, terminus, euentus, conclusio erit, talem de te opinionem homines suscipiet; congruent, consentient in vtranque partem, hominum de te iudicia.

Expectationem meam fefellisti.

You haue deceaued my expectation.

Fefellisti opinionem meam: tractasti me secus atque existimabam: non eum in me, quem putabam te præstitisti: expectationi meæ nequaquam respondisti:

cum animo meo tua facta non conueniunt, consentiunt, congruunt: prorsus te alium, atque arbitrabar, sum expertus, re ipsa cognoui, sensi. Nō præstas mihi eum animum, quem debes.

Extra cōiecturam posita non scrutāda.

They are not to be sought after, that can not be gessed at, or that passe our capacitie.

Abstinendum est ab earum rerum sermone, omittendus, dimittēdus, prætermittendus, abijciendus earum rerum sermo, suscipiendus, inducendus, habendus his de rebus sermo non est, quæ positæ non sunt in coniectura, minimè à coniectura pendent, à coniectura procul absunt, extra coniecturam sunt: quas coniectura ante capere, percipere, prospicere, prouidere, assequi, conijcere, coniectare, augurari, diuinare non licet: quæ sunt eiusmodi, vt eas vaticinari, ad eas coniectura propius accedere, de ijs certò conijcere, certam coniecturam facere, certus vates esse, coniector esse nemo possit: de quibus difficilis admodum coniectura, incerta & obscura diuinatio, obscurum augurium est: in quibus quid futurum sit, euenturum, quid afferre, parere dies, casus, fortuna, sors possit, suspicari non licet.

Extremè angor.

I am vehemently, extreamly, tormented or vexed.

Vehementissimè sollicitor: acerbissimè doleo: dolore angor incredibili: angor intimis sensibus, dolorem sustineo quantum ferre vix possum, vel planè non possum, quantum ferre vix, aut ne vix quidem possum:

possum: me conficit cura, me dolor exanimat: ita fluctibus curarum iactor, vt à portu prorsus excludar, longissimè dimouear, amouear, summouear, arcear, Vide, Dolores nimios sustineo.

Extremè infœlix.

The vnhappiest man of the worlde.

Nemo omnium, qui viuunt, me vno infœlicior, aut infortunatior est: meas miserias nulla æquat infœlicitas: mea est miserrima conditio, in summa versor infœlicitate: omnibus vexor, perturbor, exagitor infortunijs, calamitatibus, miserijs, malis: omnes me premunt miseriæ: infesta, infensa, aduersa, iniqua mihi sunt omnia: nulla est tam misera fortuna, quam mea fortuna non superet, quæ sit cum mea fortuna conferenda, quæ non infra meam fortunam sit: miserrimo sum fato, singulari, deteriore quàm quiuis omnium qui in terris degunt: meum est singulare fatum: singulari vtor fato: singulari fato natus sum: infausto nimiũ aduersoque sydere sum natus, hæc mihi nascenti dicta lex est, nunquam vt secunda fortuna vterer, nunquam vt miser non essem, perpetuis vt vexarer miserijs, angerer, cruciarer, torquerer, affligerer malis: mecum agitur infœliciter: prorsus infœliciter ago: suas in me vires nunquam fortuna non exercet: omnibus me fortuna machinis, omni telorũ genere, suis, quantascúnque habet, opibus, ac viribus oppugnat: non aduersa tantùm, sed euersa penitus est mea fortuna: quis est omnium mortalium iniquiore conditione, deteriore loco, quàm ego sum?

Ex valetudine amici voluptas.

Comfort to heare of the health of a friende.

Tua mihi valetudo magnæ voluptati erit, afficiet me voluptate, afferet mihi voluptatem, lætitiam pariet, gaudium, iucunditatem, oblectationem, hilaritatem: voluptatem capiam, suscipiam, percipiam, sumam, colligam, hauriam ex tua valetudine, corpore tuo confirmato.

Ex virtute gloria.

Glorie followeth vertue.

Gloria comitatur virtutem, virtutis comes est, virtutem sequitur, cum virtute cõiuncta, ad virtutem adiũcta: nascitur à virtute, oritur ex virtute, manat, proficiscitur à virtute: virtus gloriam parit, largitur, affert, ad gloriam ducit.

Exulauit æquo animo.

He tooke his bannishment patiently.

Summa voluptate Metellus patria cessit, egregiáque animi alacritate abfuit: discessum à patria æquissimo animo tulit Metellus, & abfuit nullo dolore: Metelli animus, cùm è patria discessit, æquissimus, dũ abfuit, lætissimus fuit, erectus, alacer, minimè demissus aut deiectus. Vide, Metellus æquo animo exulauit.

Ex vultu homo cognitus.

His face bewrayeth him, or a man may partly perceiue by his face, what minde or affection he beareth inwardly.

Quoad ex facie, ex vultu, ex oculis, & fronte potuit colligere, conijcere, intelligere, suspicari, vt potui de vultu, qui est index & imago animi, coniecturam facere,

facere, ex ea significatione quam mihi vultus dedit, vt mihi vultus significat, ostendit, vt signa quędã, quæ animum in vultu coarguunt, patefaciunt, exprimunt, mihi demonstrant, malè animatus in me est, pessimè de me sentit, inimicè cogitat aduersus me: animo est mihi inimicissimo, admodum infenso.

Facies honesta.

A good face.

Facie liberalis est, facie liberali: facies ei liberalis est, pulchra, formosa, quæ ad amandum alliciat, quæ amorem conciliet.

Facilè.

Easily.

Facilè, non difficulter, non laboriosè, paruo negotio, satis leuiter: qui sapientia valet, fortunæ resistit: sapienti facile est, non difficile, non laboriosum, operosum non est, negotij nihil est, difficultatis non est, laboris non est, difficilis operæ non est, impetum fortunæ sustinere, tueri se ab iniurijs fortunæ.

Familiaritas diuturna.

Long aquaintance.

Multos annos vtor eo valde familiariter: magna mihi cum illo familiaritas, vsus, familiaris cõsuetudo intercedit: mihi est familiaritate coniunctissimus: nihil est nostra familiaritate coniunctius: eo sic vtor, vt nec familiarius vllo, nec libentius: quotidiana mihi cum eo consuetudo est: ita mihi familiaris est, vt nihil esse possit coniunctius: magno mihi familiaritatis vsu coniunctus est, obstrictus est: amicitia nostra summã ad familiaritatem peruenit.

Fatum acerbum.

Hard happe, or euill destenie.

Fatum hoc meum eſt, vt miſerrima quæque ſuſtineam: hæc mihi naſcenti dicta lex eſt, ea videor conditione natus, vt amariſſimam fortunam in omni vita deguſtem, nihil vt boni videam in vita, nihil vt mali non ſubeam, ſuſtineam, perferam.

Fœliciter pugnans.

Warring with good ſucceſſe.

Sæpe cum Romanis exercitibus, copijs, Pœnus Hannibal fœliciter, proſperè, ſecunda fortuna, proſpero euentu pugnauit, pugnas pugnauit, pugna certauit, acie conflixit, acie contendit, acie congreſſus eſt, prælio decertauit, depugnauit, digladiatus eſt, manus conſeruit.

Feriari à negotijs.

To reſt after trauayle.

Quies nunc à negotijs eſt: quieſcunt negotia, prolatæ res ſunt, negotia non geruntur, negotiorũ nihil eſt, rerum nihil geritur, quieſcũt homines à negotijs, feriæ ſunt à negotijs, vacatio eſt à rebus gerendis, vacationem à rebus, quietem à negotijs concedit tempus. Hìc omnia iacent, hîc veternus omnes occupauit, omnes languent, omnes torpent, omnes frigent.

Feſtinanter agendum.

It muſt be done, or diſpatched quickly or ſpeedily.

Si tibi certum eſt, ſi habes exploratum, ſi pro certo exiſtamas poſſe te illius regno potiri, cunctandum non

non eſt,differendum non eſt:producenda res non eſt, proferenda, proroganda, protrahenda, extrahenda, longius ducenda:ſine mora,ſine cunctatione,ſine vllo temporis interuallo aggredienda res eſt,tentanda,incipienda, facienda mora non eſt, interponenda mora nulla eſt,omnis eſt abijcienda mora, immorari, cunctari,lentè agere,indormire non oportet. Vide,Non cunctandum.

Feſtiua oratio.

A merry ieſt,or pleaſant ſaying.

Dicta dicit eiuſmodi, iis vtitur dictis, ita facetijs valet,ita bellè,ſcitè,venuſtè,argutè,ingenioſè,feſtiuè, lepidè iocatur, vt ſingulis verbis riſum excitet, commoueat, faciat, vt audientes mira voluptate perfundat: eius dictis, facetijs, iocationibus mirè capiuntur omnes.

Feſtiuus puer.

A pleaſant boy,a merry childe,with a pleaſant and comely grace.

Nihil eſt eo puero feſtiuius,nihil lepidius:lepôres habet,qui amorem conciliet: lepôre, feſtiuitate, elegantia morũ conferendus cum illo puero nemo eſt.

Fides dubia.

You will cauſe or make men doubt of your honeſtie,fayth,or credite.

Venies in ſuſpicionem infidelitatis parum bonæ, ſynceræ,rectæ fidei: tua fides in ſuſpicionem adducetur,in dubium veniet, in dubium vocabitur: erit cur de tua fide non bene homines exiſtiment: ſuſpectus

eris nomine infidelitatis: causam afferes de tua fide secus existimandi.

Filius frugi.

A thriftie childe, or of honest nature and disposition.

Est cur gaudeas, habes quod læteris, iustam lætandi causam habes, lætari iure potes: si gratuleris, iure facis, quod moribus tam politis filium habeas, tanta modestia præditũ: quod is tibi sit filius, qui continentiam in tanta cæterorũ insolentia, tam dissolutis moribus, tam immoderato luxu tueatur, & colat, Florere laudibus filium, summæ mihi gloriæ duco.

Finis cogitationum.

The ende of all my musing, intent, studie, and deuising.

Hic est terminus, finis, scopus, quò intenduntur cogitationes meæ: hæc est quasi meta, quò vt perueniam, elaboro, atque euigilo: huc spectat animus meus: huc me voluntas, huc iudicium & ratio ducit. Vide, Consilium.

Fortis pro salute patriæ.

Stoute in the quarrell, or valiant for the safegarde of his countrey.

Egregia laude se dignum ostendit, summã gloriam consecutus est, quia patriã fortiter tutatus est, acriter, strenuè, vehemẽter, acerrimum se patriæ defensorem præbuit, hostibus patriæ suum corpus obiecit, opposuit: ita pro patria pugnauit, vt fortitudinis laudẽ tulerit, prælia sustinuit pro patria, vires omnes ad salu-

tem

tem patriæ tuendam contulit: pro ſalute patriæ defendenda contendit omnes neruos.

Fortuna ſecunda amicos habet plurimos, aduerſa nullos.

Proſperitie hath many frendes, aduerſitie none.

In proſpera, ſecunda, commoda, optima fortuna, florentiſſimis, proſperis, optimis rebus tuis, ſi tibi fortuna ſuffragabitur, fauebit, facilis erit, facilem ſe tibi, ac benignam præbebit, ſi tibi optimè cũ fortuna conueniet, ſi fortuna vteris proſpera, ſecunda, facili, benigna, ſi tibi erit optimè, ſi cõmodè tecum agetur, tranquillus erit rerum tuarum ſtatus, res tibi ad voluntatem fluent, commodis abundabis, amicorum copia florebis, amicorum multitudinem non deſiderabis: ſin ages infœliciter, fortuna vteris aduerſa, tuis commodis, atq; optatis aduerſabitur fortuna, inimicam fortunam experieris, tuis optatis fortuna non reſpondebit, malè tibi cum fortuna cõueniet, malè tecum agetur, incommodè tibi erit, caſus aliquis, rerum tuarum tranquillitatem perturbabit, perculſus fortunæ vi iacebis, languebis, iacebit fortuna tua, iacebunt res tuę, commodorum inopia laborabis, aliqua te premet, vrgebit difficultas, infeſta fortuna vteris, infenſa, iniqua, aduerſa, difficili, dura, acerba, parum proſpera, parum ſecũda, parum facili, parum benigna: tum amicos requires, amicorũ inopia laborabis, omnes te deſtituent, deſerent, à te deſciſſent, diſcedent, recedent.

Fortuna deſperata.

A deſperate caſe, or a ſtate paſt all hope of amendement or recouery.

Eò te redactum video, vt ope humana seruari non possis, vt actum prorsus de te sit, de tuis fortunis, de salute tua, vt spem habere melioris fortunæ nullam possis, vt spes melioris euentus nulla relinquatur, vt ipsa te salus seruare non possit.

Fortuna extrema vtor.

I am quite vndone, or I haue lost all that I haue.

Omnes & industriæ & fortunæ fructus perdidi: perierunt omnes fortunæ meæ: euersæ sunt, ac perditæ meæ res omnes: rerum mearum quid iam habeo? quid possideo? quid mihi reliquum fortuna fecit? ex meis pristinis ornamentis & commodis nullum obtineo: mearum omnium fortunarum iacturam feci, perniciem tuli, subij, passus sum: prorsus actum est de rebus meis: nihil mihi iam reliqui fortuna fecit: ita perij, ita sum perditus, vt salutem planè desperem: oppressæ iacent grauissima fortuna meæ res omnes: ita perditę sunt fortunæ meæ, vt eas seruare ne salus quidem ipsa possit.

Fortuna vrbes amplissimas euertit.

Fortune hath ouerthrowen most noble cities.

Vi fortunæ aliquando perculsæ, & prostratæ, iacebunt, fortunæ viribus perculsæ concident aliquando florentissimæ vrbes: præclaras vrbes obscurabit aliquando, atque extinguet, tollet, perdet, malè perdet, prorsus affliget, planè opprimet, penitus euertet, omnino delebit fortunæ vis: erit aliquando, cùm vrbes amplissimæ iaceant, perculsæ vi fortunæ atque prostratæ.

Fortuna

Fortuna omnia ſumma euertit.

Fortune hath ouerthrowen, or caſt downe the moſt renoumed and excellent thinges that euer were.

Facilè ſummos hominum principatus fortuna delet: euertit fortunæ vis opulentiſſima regna: nulla eſt poteſtas tanta, quam fortunæ poteſtas non exuperet, quæ fortunæ poteſtati non cedat, quæ fortunæ viribus frangi non poſſit: paruo negotio ſummos dominatus fortuna tollit, extinguit, labefacit.

Fortunæ inconſtantia animaduerſa.

The inconſtance of fortune ſpied.

Quò diligentius, ſtudioſius, accuratius cogito, attendo, animaduerto, meditor, mente animóque conſidero, in animo voluo, mecum ipſe perpendo, examino, pondero varietatem, inſtabilitatem, leuitatem, inconſtantiam fortunæ, euenta varia, varios rerum euentus, qui à fortuna pendent: quò magis ad fortunæ varietatem ſpecto, animum intẽdo, intueor, meas cogitationes conuerto, eò longius à cupiditate diuitiarum animum abduco, remoueo, aufero.

Fortunæ non fidendum.

Truſt not, hazarde not, committe nothing, to the aduenture of fortune.

Non improbo, non diſplicet mihi tuum conſilium, non repræhendo quod ad mercaturam exercendam, negotia gerenda, adminiſtranda, ad negotiandum te contuleris, ad mercaturæ ſtudium te adiunxeris: te tamen hortor, tibi ſuadeo, auctor tibi ſum, ne fortunæ

fidem habeas, cõfidas, credas: ne te fortunæ committas, credas, tribuas: ne fortunæ potestati te committas: ne multum in fortuna ponas, ne fidam, stabilem, firmam constantem, certam fortunam ducas: vt à fortuna caueas, cautè agas cum fortuna: minimùm tibi de fortuna pollicearis, spem in fortuna nullam reponas, constituas: vt fortunæ instabilitatem, leuitatem, inconstantiam, varietatem, mutationem, varios casus, vicissitudinem extimescas.

Fortunæ bona incerta.

The goodes of fortune are vncertaine, or fraile and mutable.

Quæ nobis fortuna largitur, detrahi, eripi, adimi, auferri, mutari facilè possunt. admodum incerta, instabilis, dubia, infirma diuitiarum possessio est, vsum diuitiarum nemo sibi certum ac perpetuũ potest promittere. quis præstare possit, diuturnam fore diuitiarum possessionem?

Fortunatus.

Happie or luckie.

Tuas fortunas nemo superat: æquas omnium fortunas: prosperè tecum agitur, sic, vt inuidere nemini possis: fœlicitate conferri tecum fortasse multi, præferri tibi, anteferri, præponi, anteponi certè nemo potest: ea fortuna vteris, quæ potest esse maxima: tam beatus es, quàm qui maximè: ita beatus es, vt nemo magis: iis vel ornamentis, vel præsidiis redundas, quibus maiora esse nulla possunt: nihil nõ optabile consecutus es, nihil ad fœlicitatem tibi deest: ea possides, ac tenes, quæ beatam vitam efficiant, quæ sunt in vita expetenda, quæ qui possidet, fortunã accusare nullo

pacto

pacto possit, nullius fortunam sibi exoptare debeat: nemo est paratior ab ijs rebus, in quibus sita fœlicitas est: rebus omnibus affluis: non est, quod quicquam desideres: optimus est rerum tuarum status: tibi satis est vel ingenij, vel fortunæ ad bene beatéque viuendum: animi, & fortunæ bona sic in te sunt, vt in nullo magis.

Fortunis & dignitate auctus.

Aduaunced to honor and wealth.

Lætor quòd magnas tibi tum fortunæ, tum dignitatis accessiones video esse factas, multum & ad fortunam, & ad dignitatē tuam accessisse, additum esse, tum fortunam, tum dignitatem tuam magnopere creuisse, auctam esse, amplificatam esse, valdè de fortuna simul, & dignitate auctum, quòd tua sit dignitas illustrior, domestica res amplior, quod & honore magis quam antea, florere & abundare cœperis fortunæ bonis, vehementer gaudeo.

Frui.

To haue the vse, or to enioye.

Est in bonis, fruitur bonis, bona tenet, possidet, fructus capit.

Fruor animo tranquillo.

To enioy a quiet minde.

Credibile non est, quàm æquo animo sim, quàm fruar quiete, quàm sit animus meus omni cura vacuus ac liber, omni cura vacet, ab omni cura procul absit, quam sit tranquillus animi mei status, quam tranquillè seipso fruatur animus meus: æquitatem animi

mei vix credas, coniectura vix assequare, cogitatione haud facilè comprehendas.

Funus splendidum.

An honorable or solemne buriall.

Funus ei satis amplum faciendum curaui: dedi operam, vt funere satis amplo, satis magnifico, satis honorifico efferretur, vt exequijs honestaretur: exequijs eum honorificis prosequutus sum: honorificè sepultus est: sepultura honestatus est: funeris, exequiarum, sepulturæ honore non caruit: habuit in funere, quæ illum decorarent, illi honorem adderent, decori essent, honori essent.

Fuste percutere.

To strike with a clubbe.

Fuste illum malè mulctare, malè accipere, percutere: fustem illi volebat impingere: fustis ictus volebat illum experiri, fustis amaros ictus gustare, sensu experiri, vim & grauitatem sustinere, ferre, pati.

Gentes subactæ.

Nations ouercomed, or countries vanquished and subdued.

Multis regionibus breui auctum est imperium Romanum: multarum regionum accessio facta est ad imperium Romanum: multæ regiones ad ditionem venerunt, in potestatem redactæ sunt, subactæ sunt, ad imperium accesserunt, additæ sunt, adiunctæ sunt, iura potestatemque subierunt populi Romani.

Geo-

Geometra.

A geometer.

Geometricis literis perfectè eruditus:penitus cognouit Geometriam:tenet omnino Geometriam:callet omnino Geometricam ſcientiam : excellit in geometria : perfectam,abſolutam, ſingularem, eximiam Geometriæ ſcientiam poſſidet : ita proceſſit in Geometria, vt ad ſummum peruenerit : prorſus philoſophiam cognouit : vincit omnes , præſtat omnibus, antecellit omnibus, nemini ſecundus eſt, parem habet neminem. Superior omnibus eſt in Geometrica ſcientia.

Gigantes immenſæ magnitudinis.

Giantes of high ſtature or maruailous great bignes.

Maximi inter cæteros homines feruntur eſſe Gigantes,extraordinaria, inuſitata, immenſa magnitudine,magnitudinis immenſæ: vaſtiſſima ſunt gigantũ corpora, horribili magnitudine : non ſunt gigantes cum cæteris hominibus corporis magnitudine conferendi:nemo noſtrûm eſt,qui gigantes magnitudinẽ adæquet,qui gigantum magnitudinẽ æquet, aſſequatur,qui gigantibus par ſit: excellunt gigantes magnitudine inter homines reliquos , cæteris hominibus præſtant,antecellunt:gigantum magnitudo caret exemplo,extra ordinem eſt,præter naturæ morem,vaſtior eſt quàm mos naturæ ferat.

Gloria ex munere benè geſto.

Great honor and prayſe in executing his office well.

Hoc munus ſi cum laude adminiſtraueris, geſſeris, curaueris, in hoc te munere ſi præclarè geſſeris, expreſſior & illuſtrior tua virtus erit: tua virtus petebit illuſtriùs, extabit apertiùs, magis quã anteà patefient, certiuſque cognoſcentur animi tui bona: qui vir ſis, & quantus, magis, quàm anteà, res ipſa declarabit, maiorem, quàm antea, ingenij animique tui ſignificationem dabis, teipſum oculis hominum aperies, ac patefacies: ipſe ſic te probabis, vt anteà nunquam.

Græcè & Latinè doctus.

Very well learned both in Greke and Latine.

Præclarè tenes & quæ à Græcis, & quæ à noſtris prodita ſunt: vnus optimè noſti non noſtra ſolùm, ſed etiam Græciæ monumenta omnia. Eſt omni liberali doctrina politiſſimus.

Grata ſalus alterius nomine dicta.

You haue done me a great pleaſure in doing my commendations.

Quod eum ſaluere à me iuſſeris, meo nomine ſalutaueris, quod ei meis verbis ſalutem dixeris, amo te plurimùm.

Gratia reconciliata.

Reconciled or brought in fauour, or made friendes agayne.

Inimicitias depoſuimus: in gratiam redijmus: reconciliati ſumus: odia dimiſimus, abiecimus, depoſuimus. Vide, In gratiam redire.

Gratia excidere aliorum culpa.

To leese the fauour once obtained by the faulte of other.

Gratiam tuam extinxit, perdidit, afflixit omnem, apud omnes deleuit, non tua, sed tuorum culpa: factum est minimè quidem tuo, sed tuorum vitio, vt, qua florebas gratia, eam amitteres: perijt quod habebas gratiæ, tuorum culpa, non tua: commissum est à tuis potius, quàm à teipso, per tuos potius, quàm per teipsum, vt esses non vt antea, gratiosus, vt ea gratia, qua fruebaris antea, prorsus excideres, vt amitteres hominum studia, vt ex animis atque amore hominum afflueres, excideres.

Gratus ero.

I will be thankefull or doe my endeuour to requite your deserts and curtesie.

Qui tibi ex me fructus debētur, eos vberrimos capies, percipies, ex me colliges, feres: remunerabor te, remunerabor tua merita: reddā beneficia: parem gratiam referam: tuis beneficijs respondebo: quæ debeo, soluam: eo, quo premor, tuorum beneficiorum onere leuabor: beneficijs compensabo: probabo me gratum ac memorem, paribus officijs: cumulatè tuis in me meritis satisfaciam: quæ in me contulisti, eadem recipies, aut paria. laxabo me quasi vinculis quibusdam, si planè soluere non potero, beneficiorum tuorum. Istam tuam liberalitatem semper in ore, animoque habebo.

Grauissimè me læsit, quòd amicum ignominia affecit.

He coulde not displaise me worse, then to

ſclaunder my friende, or ſclaundering my friende, he ſclaundereth me.

Ex omnibus iniurijs,quas in me contulit, coniecit, quibus me affecit, vexauit, exagitauit, inſectatus eſt, nulla mihi fuit grauior, nulla me grauius affecit, grauiorem nullam ſenſi, grauius nullam tuli, quàm cùm amici mei dedecus, ignominiam, dehoneſtamentum per ſummam iniuriam, nefandumq; ſcelus quæſiuit, infamiam amico meo machinatus eſt.

Habitu Hiſpanienſi.

Apparelled like a Spaniard.

Ornatu Hiſpanienſi, Hiſpanorum more, indutus more Hiſpanienſi: ſpeciem hominũ Hiſpanorum veſtitu referens, præ ſe ferẽs:vt in Hiſpania ſolet:vt Hiſpaniæ mos & conſuetudo fert.

Hannibal bellicæ artis peritiſſimus.

Hannibal moſt skilfull in warlike affaires, or a verie expert ſouldier.

Hannibal in re bellica, in rei ſcientia militaris, in gerẽdis bellis callidiſſimus,vaferrimus, verſutiſſimus aſtutiſſimus fuit omnium Pœnorum: vafritie, calliditate,verſutia,aſtutijs,aſtu,arte vicit,anteiuit,anteceſſit omnes Pœnos:præſtitit,antecelluit,ſuperior fuit omnibus Pœnis: excelluit inter Pœnos,parẽ habuit Pœnorum neminem:vafritie,calliditate,verſutia,aſtutijs, aſtu, arte omnium Pœnorum nemo cum Hannibale conferendus,comparandus,æquandus, componẽdus: ad eam calliditatem,vafritiẽ,artem, qua gerẽdis bellis Hãnibal excelluit, aſpirare ex omnibus Pœnis nemo potuit: in bellicis aſtutijs, atque artibus adſpirare ad Hanni-

Hannibalem ex Pœnis nemo potuit: quis Pœnorum Hannibali gerendorum bellorum ſcientia par fuit? quis perfectam belli gerendi rationem, vt Hānibal tenuit, calluit, nouit, poſſedit, conſequutus eſt, obtinuit?

Hic tibi ſit ſcopus.

Let this be your marke, intent or purpoſe.

Hoc tibi ante oculos propone, pone, ſtatue, conſtitue, ad animum refer: huc mētem intende: huc ſpectet animus tuus: dirige tua conſilia, tuas cogitationes ad hunc finem: hoc tibi propoſitum ſit: mentis aciem in hoc intende.

Hiems horrida.

An extreame winter.

Teterrima ac fœdiſſima hiems eſt: hieme vtimur iniucunda, ac triſti: hiemem habemus perodioſam: nihil hac hieme fœdius, nihil horribilius.

Hoc ſapienti non obuenit.

This chaunceth not to a wiſe man.

Hoc in ſapientem minimè cadit: non eſt, vt obuenire hoc ſapienti poſſit: eſt hoc à ſapiente alienum: pertinere hoc ad ſapientem non poteſt.

Homo exploratus.

A well knowen man, or with whom I am well acquainted.

Pulchrè hominem noui, probè noui, præclarè, perfectè, planè, penitùs ſenſus eius egregiè teneo: habeo illum omninò cognitum: neque ipſe me, neque ſtatus eius vlla ex parte latet, præterit, fugit: qui ſit, qui ani-

mo,quo ſenſu,quo ingenio præditus,optimè noui.

Honeſtum vtili anteponendum.

Honeſtie is to be preferred before profite.

Honeſtum vtili præferendum, præponendum, anteponendum: debemus honeſtum ſpectare,colere,diligere,curare,ſequi magis,quàm vtile:pluris, quàm vtile eſtimare,facere,pendere,putare,reputare,ducere: de honeſto potius, quàm de vtili laborare, cogitare, curam gerere: propoſitum habere honeſtum potius, quàm vtile: ad honeſtum potius, quàm vtile, noſtra conſilia,ſtudia,cogitata intendere:dirigere:antiquior, potior,prior nobis debet eſſe de honeſto cura, quàm de vtili:vtile contemni,præ honeſto,decet: in noſtris conſilijs, & cogitationibus plus honeſto, quàm vtili debet eſſe loci:ſpectare honeſtum potius, quàm vtile, conferri, referri ad honeſtum potius, quàm ad vtile, noſtra conſilia, noſtra ſtudia, noſtra debet induſtria: maiorem decet honeſti rationem habere, ducere, quàm vtilitatis.

Honor.

Honor and worſhip.

Exiſtimatio, dignitas, honeſtas, honor, optima fama,amplitudo,honeſta opinio.

Honore afficere.

To honor, eſteeme and reuerence.

Et ſi te in tuenda,colenda, conſeruāda amicitia ſatis leuem,parum conſtantem, minus firmum cognoui,à me tamen omnia ornamenta proficiſcentur:nullum in te ornando, honeſtando, colendo locum, aut tempus,nullum ſtudij genus,officij,obſeruantiæ prætermit-

termittam: fauebo tuæ dignitati, exiſtimationi, honori: nullo non loco, nullo non tempore, quibuſcunque rebus potero, conferam, referam, intẽdam ad honorem ac dignitatem tuam, omnia mea ſtudia, officia, omnem induſtriã, curam, operam, diligentiam: figam & locabo in tua dignitate omnia mea ſtudia: augebitur, amplificabitur meo ſtudio tua dignitas: acceſſio tibi dignitatis meo ſtudio fiet: tuæ dignitatis acceſſiones meo ſtudio conſequêris: meum ſtudium honori tuo nullo loco deerit.

Honorem tuum defendam.

I will defende your honor.

Quod pollicitus ſum, id re præſtabo, vt honorem tuum defendam, tuear, vt honoris tui defenſionem, contentionem, certamen ſuſcipiam, vt pro honore tuo pugnem, contendam, certem, vt honorem tuum defendendum, tuendumque ſuſcipiam.

Honoris tui rationem habebo.

I vvill haue conſideration or regarde to your honor.

Magnam omnibus in rebus tuæ dignitatis rationẽ habebo. Semper mihi tua dignitas ante oculos erit, propoſita erit, erit antiquiſſima: meæ cogitationes tuam laudem ſpectabunt: animus meus in honore tuo fixus erit, ac locatus: in omni re quid honor tuus poſtulet, quid ferat, quid requirat, attendam.

Humanitas in primis colenda.

Gentleneſſe or curteſie eſpecially to be embraſed and eſteemed.

Ex omnibus virtutibus nulla est, quæ magis hominem deceat, magis homini conueniat, in hominem cadat, ad hominem pertineat, homini magis propria sit, quàm humanitas; cum omnes virtutes, tum vna in primis homini colenda humanitas est: ita decent hominem virtutes omnes, vt primum sibi locum vindicet humanitas: ita colendæ sunt, ita expetendæ, ita diligendæ virtutes omnes, vt præter cæteras amplectenda sit humanitas: inter omnes virtutes vna maximè lucet, eminet, excellit humanitas: quærendæ sunt omnes virtutes, sed humanitati danda in primis opera est: vt Hesperus inter sydera, sic inter virtutes præcipuè fulget humanitas.

Humanus.

Gentle, curteous, and friendly.

Qui plus habeat, possideat, ostendat humanitatis, in quo plus humanitatis, plus officij sit, qui sit illi humanitate præferendus, magis ad humanitatẽ propẽdeat, humanitatis laude sit illo præstantior, humanitate magis abundet, illum humanitate vincat, ei præstet, antecellat humanitate, hactenus cognoui neminem: nemo est illo maioris officij, humaniore sensu, officij studiosior, in officio diligentior. A pueritia floruisti artibus ijs, quæ ab humanitate nomen acceperunt. In hoc humanitatem tuam agnosco.

Iactura rei familiaris deprehensa.

To finde my stocke impayred, or to finde what losse I haue sustayned.

Si putaueris, supputaueris, duxeris, subduxeris rationes tuas: si, subductis rationibus summam facies rerum tuarum, summam colliges, perstringes, conficies

cies, in vnum coges, rei tuæ familiaris iacturam deprehendes, aperies damna rerum tuarum, detrimenta patefacies, intelliges, senties.

Idem omnium in re iudicium.

The consent or opinion of all men in a matter.

Communi sensu, consensione omnium, omnium iudicio approbatione, sententia, cōsentientibus cunctis hominibus, approbantibus, nemine prorsus dissentiente, nulla cuiusquam discrepante sententia, acta res est, gesta, administrata: in ea re gerenda omnes cōsenserunt, consensus omnium par & idem fuit, omnes omnium sententiæ conuenerunt, nemo dissensit, sententiarum varietas nulla fuit, dissimilitudo voluntatū, aut opinionum nulla prorsus extitit, sensu diuerso nemo fuit: omnes omnium voluntates, opiniones, sententiæ, iudicia congruerunt.

Idem fuit nostri doloris autor & vltor.

One man both the worker, cause or beginner of all our sorrow, and the reuenger also.

Nostram vicem vltus ipse est: quem hostem, eundem suimet vltorem habuimus, eundem & iniquum aduersus nos, & iniquitatis atq; iniuriarum vindicem habuimus: auctor fuit ac punitor doloris nostri: quod nostrum erat, ipse effecit, vt iniurias nostras in seipso vindicaret, vlcisceretur, persequeretur.

Ignarus rerum gerendarum.

Voyde of all experience, or nothing skilfull in doing and working of &c.

Rudis es, ab vsu rerum imperitus: experientia cares, vsum rerum ignoras: non satis es in tractandis rebus versatus.

Ignauus.

Slouthfull.

Hoc illi tribuebatur ignauiæ: commissum hoc ex ignauia homines interpretabantur: causam huiusce facti in ignauiam conferebant: hoc ad ignauiam, inertiam, desidiam, languorem referebant: adscribebant ignauiæ, assignabant ignauiæ, ignauia hominis esse aiebant.

Ignominia affectus.

Sclaundered.

Ignominia sum à te affectus: tuli à te ignominiam: ignominiosè sum à te tractatus, mihi ignominiam intulisti, attulisti.

Ignominia affectus immeritò.

Sclaundered wrongfully.

Doleo te immerentem conuicio iactatum, exagitatum, vexatum, malè acceptum: angor animo, quòd ignominiam tuleris nulla tua culpa, quòd ignominia tibi sit illata immerenti, quòd ignominiosè sis tractatus, ignominia sis affectus nullo tuo merito.

Immeritò accusatus.

Accused vniustly.

Accusas me innocentem, immerentem, insontem, nullo meo merito, immerito meo, iniuria, iniustè, iniquè, contrà quàm ius est, contrà quàm meritus sum,

contrà

contra ius & æquum, abſq; mea culpa: hæc in me ſine cauſa confertur culpa: mihi adſcribenda, aſſignanda, attribuenda cauſa non eſt: culpa vaco, culpa careo, longè abſum à culpa: procul abeſt à me culpa: remotus à culpa ſum: culpæ ſum expers: extra culpã ſum, nõ hæret in me culpa, culpam non ſuſtineo, affinis culpæ nõ ſum, culpæ mihi non ſum conſcius, in culpa non ſum: commiſſum à me nihil eſt quare videar accuſandus: non erraui, non peccaui, non deliqui, lapſus non ſum: nullam in culpam incidi, nullam cõmiſi culpam, nihil commiſi, admiſi, perpetraui: nullo me ſcelere adſtrinxi, obſtrinxi, maculaui, inquinaui. Vide, Culpa vacuus.

Immeritò moleſtijs afficior.

Troubled without a cauſe.

Vexor, exagitor, iactor immerito meo: negotium exhibetur immerenti: moleſtijs & iniurijs afficior ſine cauſa: commiſſum à me non eſt, vt hæc tam grauia ſuſtinerem.

Immodeſtus.

Vnmodeſt, without modeſtie, ſhamleſſe.

Locum in aula Romana non habuit, locus ei non fuit, ob immodeſtiam, impudẽtiam, temeritatem, imprudentiam, immoderatam vitæ rationem, quia parum modeſtus eſt, non ſatis modeſtè viuit: modeſtia, modo, ratione non vtitur: modeſtiam ignorat, longè abeſt à modeſtia, parum modeſtis eſt moribus, de modeſtia nihil laborat, nullum ei modeſtiæ ſtudium eſt, expers eſt modeſtiæ, iudicij, prudentię, rationis: temerè agit, imprudenter, ſine ratione, ſine modo, immoderatè, immodicè, inconſideratè, inconſultò, prorſus ſine conſilio: quia inconſultus eſt, temerarius, impru-

dens,inconſideratus, immoderatus, immodeſtus,immodicus.

Impar es in amore.

An vnlike louer, or vnlike in loue.

Animus tuus in amore mihi non reſpondit:parem in me beneuolētiam minimè declaraſti: tuæ beneuolentiæ ſignificationem non dediſti:non eſſe te mutuo erga me animo, pariter atque ego ſum in te animatum non demonſtraſti: tuum in me amorem non eſſe cum meo conferendum, inferiorem eſſe meo, infra meum eſſe indicaſti.

Impediunt ſtudia ſalutationes amicorum.

The often greeting of my friendes, let my ſtudie.

Crebræ amicorum ſalutationes ita me interpellant,vt prorſus me à ſtudijs abducāt,auocent, abſtrahant, abripiant, auellant, amoueant: omnem prorſus colendi ſtudia facultatem,poteſtatem,frequētes amicorum ſalutationes eripiunt: nullam mihi ſtudiorum copiam, nullam ad colenda ſtudia,ad tractandas literas vacuam horam,nullum liberū tempus relinquunt: fit ſalutationibus amicorum adeuntium ad me, ventitantium ad me amicorum officio, vt ſpatij nihil habeam ad animum literis excolendū, ad ingenium ſtudijs exercendum:ita ſum occupatus,occupationis habeo tantum in excipiendis ijs, qui ad me officij cauſa adeunt, vt otij nihil ſuperſit ad ſtudia literarum tractanda,vt nullam diei partem arbitratu meo in ſtudijs ponere, ad ſtudia conferre liceat.

Impe-

Imperator.

The generall, or captaine generall.

Omnem cogitationem, omnia consilia, mentem prorsus à bellis auocauit, abduxit imperator, is qui nomine imperatoris insignitur, imperatoris titulo decoratur, imperatoris eximia dignitate fungitur, imperium in omnes habet, cuius imperium est, cui potestas est atque ius imperandi.

Imperatum, quod præstare nequeas.

To commande a thing vnpossible.

Imperas mihi, iubes, mandas, id fieri à me vis, quod exequi, efficere, præstare neque debeo, neque possum: id mihi imponis, quod sustinere neque debeo, neque possum: das mihi rem in mandatis parum honestam, & eiusmodi, quæ vires meas exuperet.

Imperium annuum conficere.

To ende his yearly office.

Annuum munus confeci, absolui: annuo munere sum perfunctus: absoluta est annua mea administratio: administrationis annuæ finem attigi, ad finem perueni: abijt annus imperij mei.

Impetus consilio repressus.

Violence repressed by wisdome.

Impetum perditorum hominũ tua prudentia, tuum consilium, tuum mẽtis acumen & vis eximia franget, debilitabit, irritum faciet, inanem reddet, reprimet, retundet. Impetum perditorum hominum tua virtus franget, reprimet ac retundet. Hominum improbita-

em infringent consilia tua.

Importunè epistola reddita.

Letters deliuered out of time, or in euill time.

Epistolam mihi non loco reddidit: reddendæ tempus epistolæ parum scitè obseruauit: tempus epistolæ reddendæ parum commodè cepit.

Improbandi.

Of disalowing.

Hæc mihi ratio rei gerendæ non probatur: non agis, vt agendum censeo : aliter agis, atque ego agendum existimo : cùm ita agis, à iudicio discrepas meo, discedis, dissentis, procul abis. Hic tuæ vitæ cursus offendit eos, qui te diligunt, optiméque tibi cupiunt.

Improbi ex iudicijs elabuntur.

The wicked escape cleare without punishment, or escape the censure of the lawe and are quitte.

Sæpè homines improbi, culpæ, criminum, delictorum, flagitiorum, scelerum affines, criminum labe infecti prorsus, atque inquinati, noxij, nocentes, sontes, iudicio liberantur, iudicum sententijs impunitatem assequuntur, à supplicio vindicantur, pœna eximuntur, pœnas vitant, effugiunt, euadunt ex iudicio, elabuntur, seruantur insontes, innocẽtes, expertes omnis culpæ, nullius affines culpæ, nulla infecti culpa, nullo astricti scelere, nullo contaminati flagitio iudicantur, non puniuntur, non vindicantur, non castigantur, merita non coërcentur pœna: pœnas non dant, nõ luunt, non pendunt : debitas pœnas non persoluunt, debito

supplicio

ſupplicio non mulctantur, non afficiuntur pœna:pœnas factis,vita & moribus dignas, improbitati debitas nō ferunt,nō ſuſtinent,patiūtur,ſentiunt: ſæpè fit iudicum culpa, vitio, ſcelere, improbitate,iniuſtitia, perfidia,vt homines impuri, perditi,ſceleſti,flagitioſi, delictorum omnium participes,ſine pœna dimittantur, pœna eximantur, abſolutionem conſequantur, animaduerſionem effugiant: ſæpè non animaduertitur in homines nocētes,ſuppliciū de nocentibus nullum ſumitur,pœna nulla capitur,ſecùs ac meriti ſunt, ac eorum vita poſtulat,iudicantur,ſententiæ feruntur.

Improbi puniendi.

VVicked men or malefactours are to be puniſhed.

Animaduertendū eſt in homines nocentes: iuſta eſt in homines improbos animaduerſio: animaduerſione vti aduerſus improbos oportet:improbi afficiēdi ſunt pœna,vindicandi,puniendi,plectendi,vlciſcēdi,caſtigandi,malè mulctādi:ſumēdum eſt de improbis ſupplicium : capere pœnas de improbis æquum eſt: luant improbi pœnas factis dignas: debitum ſupplicium nefarij homines perſoluant:digna eorum factis in animaduerſione improbi plectantur pœna.

Imprudens.

Unwiſe, rash and vnaduiſed.

Nimium te inconſideratum,imprudentem,expertem conſilii,inopem conſilii,expertem rationis, inopem rationis,auerſum à ratione,propēſum ad temeritatem,immoderati ſenſus,præcipitis conſilii, nimis in agendo præcipitem,inſipientem,ſtultum cognoui.

Impudens.

Impudent, or shameles.

Si tuum os haberem, si tuam imitarer impudentiam, si essem æque ac tu, pariter ac tu, similiter ac tu, non secus, non aliter ac tu, ita vt tu, vti tu, queadmodum tu, sicuti tu impudens, ad impudentiam propensus, pudoris expers ac modestiæ, alienus à pudore, remotus à modestia, auersus à pudore, non immerito impudentissimus haberer: transis verecundiæ fines: abes procul à pudore: modestiam nullam retines, tueris, colis: non te pudor retinet: non te modestia regit, non verecundia temperat.

Impudenter peccas.

You sinne without shame.

Nulla tibi est ad facinus verecundia: nullū tibi peccandi modū verecundia statuit: peccas, abiecta prorsus omni verecundia: omni prorsus pudore es exutus: peccas sine modo: peccas impudentissimè: non te pudor vllus, non te modestia deterret, abducit, remouet à voluntate, à studio, à consuetudine peccandi.

In acie ceciderunt.

They fell in the fielde, or were slayne in the conflict.

In illa pugna, illa acie, illo prælio, conflictu, ducenti homines insigni fortitudine præstantes obierunt, ceciderunt, mortem oppetierunt, occubuerunt, desiderati sunt: ducentos homines pugna illa sustinet. Vide Milites egregij.

In aduersa fortuna benè animatus.

In

In aduersitie of good courage, heart and stomacke.

Et si fortuna mihi carissima quæque abstulit, eripuit, ademit, etsi me orbauit ijs rebus omnibus, quæ homini carissima sunt in vita, non faciam tamen, non committam, vt ipse me planè deseram, atque destituam, vt omnem planè spem abijciam, vt ab omni spe animum abducam, vt de meliore statu desperem, vt ad desperationem adducar, redigar: fortuna me prorsus omni spe salutis orbauit, nec tamen nihil spero: exclusa spes omnis videtur esse meliorum rerum, aliqua tamen spe nitor, sustentor.

In aduersis cœlum aspicimus.

We looke vp to heauen in aduersitie, or in euery sodayne mischaunce.

Hic est mos hominum, ita more comparatum est, vt in repentinis aduersisque casibus, si quid & præter opinionem, & contra voluntatem accidit, cœlum intueantur, suspiciant, aspectent, ad cœlum aspiciant, suspiciant, spectent, oculos tollant, intendant.

In aliqua existimatione esse.

To be in some reputation, credite, or countenance.

Paucorum dierum studio consecutus es, vt aliquo numero esses, vt aliquid haberes inter homines honestatis, vt aliquem inter homines locum obtineres, vt aliquo apud homines loco esses, vt aliquam tibi asciscceres existimationem: ne prorsus iaceres, ne planè ignobilis, obscurus, vilis, abiectus, nullius honoris ac nominis esses, ne nullius omninò esses, ne nullo

planè loco esses, ne tua esset inter homines obscura, aut infima conditio: parumper te honestauit, aliquo te in numero constituit, aliquem tibi locum tribuit, comparauit, peperit paucorum dierum studium.

Incendium.

A daungerous fire.

Hac nocte nõ mediocre excitatum est incendium: vehemens ignis est accensus: ædes multæ conflagrarunt, combustæ sunt, igni corruptæ sunt, consumptæ, absumptæ: grauis admodum periculi, summi damni exorta flamma est.

In conspectu.

In the sight, or before the eyes.

Tota mihi illa regio in cubiculo meo sedenti erat in conspectu, ante oculos erat, in oculis erat, sese oculis offerebat, ante oculos versabatur, egregiè patebat.

Incredibile.

Incredible, or that one would not thinke or beleeue.

Credibile non est: credendum non est: non est, vt credatur, vt credi possit, vt habenda fides videatur: fidem superat: verisimile non est: mendacium videtur: mendacij speciem habet: mendacium præ se fert: veritatis imaginem nullam ostendit: eiusmodi est, vt fide careat, vt adiungi fides nulla possit.

Incursiones hostium.

The inrodes, assaultes, incursions of our enemies.

Decur-

Decursionibus hostium audio regionem infestari, vastari, loca diripi: excurrere hostes audio, & loca diripere: incurrere hostes in regionem dicũtur, & ex ea prædas agere, eam damnis afficere, rapinis exhaurire, exinanire, vastare prorsus ac perdere.

In dignus amore.

Vnworthy of loue, or to be made of, & beloued.

Indignus est amore, ac beneuolentia filius tuus: indignus est, qui ametur: nõ est, qui ametur, nullam virtutem possidet, nulla præditus est arte, quæ amorem conciliet: omnia prorsus animi bona, omnia desiderat ornamenta, quibus beneuolentia colligitur: quæ ad colligendam, quærendam, comparãdam beneuolentiam faciunt, valent, spectant, apta sunt, accommodata, idonea, apta: nihil est in filio tuo, quòd homines ad illum amandum alliciat: nihil est in illo, quare diligatur: nulla arte, scientia, virtute, nulla planè re commendatur, vt inire gratiam ab hominibus, adiungere sibi homines aliqua beneuolentia possit.

Indignus beneficio.

Vnworthy of a benefite or good turne.

Tanto merito indignus es: non is es, in quem tanta gratia conferatur: non ita meritus es, non ea tua merita sunt, vt affici tanto beneficio, ferre tantum beneficium debeas: nõ is est animus tuus, qui tantam gratiam capiat, compræhendere, complecti, capere, concipere, excipere possit: ineptus es ad tantam gratiam accipiendam: beneficij magnitudo, tua merita vincit: impar es tanto beneficio.

Indignus laude.

Vnworthy of praise.

Laude indignus es: indignum te laude præbuisti ostendisti, non eum te præbuisti, præstitisti, ostendisti, probasti, non ita gessisti, non ita te gessisti, non ea tuæ vitæ ratio fuit, non eiusmodi sunt merita tua, non te talem vidimus, cognouimus, sensimus, experti sumus, non is nobis cognitus es, vt afficiendus, ornandus, decorandus, honestandus, efferendus, extollendus laude sis, vt laus in te cõueniat, tibi debeatur: vt laudis præmium, quasi tibi debitum possis exigere: vt laus, quasi tuis meritis debita merces, persoluenda tibi esse, tribuenda, deferenda videatur.

In diuitijs quærendis occupatus.

Occupied in seeking after riches.

In re familiari augenda totus es: præter diuitias, nihil spectas: tuum omne studium in quærendis opibus cõsumis, locas, constituis: totus in diuitias incumbis: id vnum agis, eò tantùm spectas, eò tuum studium dirigis, confers, tuum consilium illud est, tua planè singularis cogitatio, vt diuitias tibi pares, compares, colligas, congeras: vt opes quæras, habeas, possideas, vt opibus abundes, affluas: vt diuitiæ tibi redundent, tibi adsint maximæ, tuam in domum frequentes cõfluant: vt diues sis, copiosus, locuples, plenus, benè nummatus, multarum possessionum munitus, instructus, paratus, minimè inops à re familiari, à re domestica, à diuitijs, ab opibus, à copijs, à fortunis: vt abundes, vt cumulatè possideas, vt vberrima sint omnia: vt omnium rerum vbertate floreas: vt fortunæ tibi sint amplissimæ.

In eodem fortunæ periculo.

In the same daunger.

In eadem es naui; eodẽ in discrimine versaris: idem tibi periculum impendet: æquè tua salus agitur, tuæ fortunæ periclitantur: eadem tibi imminet calamitas: æquè periclitaris: in ijsdem nauigas fluctibus: eodem iactaris vento: eadem te procella perturbat: eodẽ loco res tuæ sunt: versaris in eodẽ periculo, in eadem fortuna, eadem te fortuna manet, tibi impendet, tibi imminet, te vrget: pari es conditione: par, similis, eadem, non dissimilis, non dispar, non alia tua conditio est: non minus de te agitur: tua res æquè agitur: de tua re itidem agitur: in periculum tua res adducitur, venit, periclitatur, periculum subit: eadem tibi instant mala: haud melius tecum agetur: haud meliore loco tuæ res erunt: non tibi erit melius: meliore loco res & fortunæ tuæ non erunt.

Ineptus studijs præ imbecilla valetudine.

Vnable to studie, because of his sickly nature or weake body.

Infirmior est, imbecillior est, infirmiore, imbecilliore, tenuiore valetudine, infirmioris, imbecillioris, tenuioris valetudinis est, corpore est infirmiore, imbecilliore, tenuiore, viribus est infirmioribus, imbecillioribus, tenuioribus, quàm vt studiorum laborem, graue studiorum onus ferre, perferre, sustinere possit: minus habet virium, roboris, quàm vt studiorum labori par esse possit, quàm vt ferendo studiorum labori possit esse: valetudine vtitur infirma, imbecilla, sic, vt labor eum studiorum facilè possit opprimere: eam illi valetudinem, eas natura vires negauit, quas labo-

rioſa ſtudiorum tractatio, aſſidua literarum exercitatio, grauiſſima literarum ſtudia poſtulant, requirunt, deſiderant, exigunt: corporis, valetudinis, virium infirmitas, imbecillitas, tenuitas facit, vt incumbere, quantum res poſcit, in ſtudia non queat.

Infamis.

Infamous.

Æternam ignominiæ labem ſubijſti: ſempiternam ipſe tibi ignominiam impoſuiſti: æterna tibi eſt inuſta infamiæ nota, ipſe te aſperſiſti, atque inquinaſti maculis infamiæ ſempiternis: ſpem tibi omnem futuræ dignitatis ademiſti: nullam tibi in poſterum dignitatis partem reliquiſti.

Infamiam aſpergere.

To ſpreade an euill name, or giue forth ſclaunder.

Vehementer ſtudes de mea fama detrahere, meam famam lædere, detrimento afficere, obeſſe, nocere, officere meæ famæ: id agis, vt æternas mihi infamiæ notas inuras, vt ijs meum nomen ſordibus, ijs maculis afficias, inficias, inquines, inſpergas: eas meo nomini ſordes, eas maculas inijcias, inſpergas, inferas, quas nulla dies, nulla deinde res poſſit eluere, abſtergere, auferre, delere: tuum cõſilium, tuum ſtudium illud eſt, vt me in omne tempus, in omnes annos, in omnes meæ vitæ dies, in perpetuum infamem reddas, infamia notes, infamię tradas: id ſpectas, vt perpetuò malè audiam, perpetuam in infamiam adducar, æterna vt infamia flagrem, laborem, vt in ſordibus infamiæ nũquam non iaceam, vt perpetua verſer in infamia.

Infœ-

Infœlices ſe premi exiſtimant.

They whiche are vnfortunate thinke them ſelues oppreſt, or poore men iudge them ſelues most miſerable.

Videre licet multos, qui ſe credant, quia laborant inopia, egeſtate premuntur, in ſumma infœlicitate verſari, cōſtitutos eſſe, peſſimè fortunatos eſſe, afflicta penitùs fortuna eſſe, miſerrimę conditionis eſſe, omnibus malis affligi, omnibus miſerijs opprimi, omnibus infortunijs vexari, ſic redactos eſſe ad ſummã infœlicitatem, prorſus infœliciter, miſerrimè, peſſimè ſecum agi, ſuas rationes, ſuas fortunas peſſimo loco eſſe, afflictas, euerſas: perditas eſſe, fortuna ſe iniquiſſima, aduerſa, graui, infenſa, in primis vti.

Inferiori non cedere.

Not to yelde, or giue place to one that is inferior, or leſſe worthy.

Cur ei cedere, loco cedere, locum concedere, locum dare ei debeo, qui comparandus, æquandus, cōferendus, par omnino mihi non eſt? quamobrem, qui eſt infra me, qui nihil ad me eſt, mihi patiar anteponi? quid eſt cauſæ, cur primas ei partes concedam, primas ad eum partes deferri ſinam, primo eum loco ſtatuam, præponi mihi, ante me collocari, anteire me patiar eum, quem nulla res mecum æquat, cuius meritis mea merita antecellunt? quid eſt cauſæ, cur honore ſuperior habeatur, qui virtute inferior eſt?

In fugam conuerſi.

Made to flye.

Cùm aliquandiu pugnaſſent, in fugam ſe coniecerunt, dederunt, fugam arripuerunt, fuga ſalutem petiuerunt, fugati ſunt, fuga ſibi conſulere cœperunt, fuga diſtracti ſunt, diſſipati, diſperſi, diſiecti : diſtraxit eos fuga, diſſipauit, diſiecit.

Ingenio præſtans.

Of an excellent witte.

De ingenij tui præſtantia, vi, acie, ita ſtatuo, neminem tibi anteferri poſſe, paucos admodum conferri : excellere te ingenio, præſtare, florere, valere, vel omnibus antecellere, vel certè nemini concedere iudico ; acutiſſimam eſſe aciem ingenij tui, egregio te à natura inſtructum ingenio, minimè te eſſe hebetem ad id quod melius ſit intelligendum: eam eſſe ingenij tui aciem, nihil vt non videas, aſſequaris, facilè intelligas, ſcientia comprehendas : ingenij tantum in te duco eſſe, quantum eſſe poteſt plurimum : ingenium in te ſentio eſſe ſummum, eximium, egregium, non mediocre, non vulgare, non quale multis contingit, exquiſitum, rarum, ſingulare, præſtans, acutiſſimum, planè diuinum.

In gratiam redire.

To come agayne in fauour.

Vt mihi tua voluntas reconcilietur, operam dabo, enitar, contendam : elaborabo, vt gratiam mihi tuam meo merito reſtituas, vt amiſſam recolligam beneuolentiam tuam: vt te mihi reddas, vt mecum in gratiam redeas: vt te mihi reconcilię : vt animus tuus, qui erat antea, idem in poſterum erga me ſit : vt ſis in me, ſicut antea animatus: vt, ſi quid alienæ opinionis, aut parum amicæ voluntatis aduerſus me ſuſcepiſti, deponas, abijcias.

abijcias. Vide, Reconciliatus amor.

Ingratitudo deteſtanda.

Ingratitude is to be detested, or abhorred.

Vitium ingrati animi peſſimè odi: nullum odioſius mihi crimen eſt ingrati animi culpa: cùm omnia crimina, tum verò prætermiſſæ gratiæ, neglecti officij culpa grauis admodum, moleſta, odioſa mihi eſt: nullum hominum genus acerbius odi, peius odi, acerbiore inſector odio, quàm qui gratiam bene meritis nõ referunt, qui de gratia referenda minimum cogitant, parum laborant.

Ingratus es.

Thou art vnthankefull.

Meis in te meritis non reſpondes: gratiam non refers, non ſoluis id quod debes: officia mea tuis officijs non compenſas, gratiam non reddis, officium non præſtas, ingratè agis, ingratum te præbes: officium in te requiro, deſidero: gratiam à te non fero: mea erga te non imitaris officia. Magna mihi debes beneficia, nec ſoluis.

Inhumanus.

Vncurteous, or vnkinde.

Neminem, qui tam longè ab humanitate abeſſet, tam eſſet alienus ab humanitate, tam expers humanitatis, in quo minus eſſet humanitatis vnquã vidi: omnem prorſus humanitatem, liberalitatemque naturæ ſic ignorat, vt nemo magis, minimè omniũ de humanitate laborat: officium negligit: ita nihil agit liberaliter, vt illiberalitatẽ eſſe virtutem exiſtimare videatur.

In insaniam prorsus incidit.

He is fallen starke madde, or as madde as a bedlemė.

Vi doloris ita insanijt, vt mentē, rectum animi sensum, rationem nunquam receperit, in perpetuū amiserit, ad sanitatē nunquam redierit: insaniæ morbo ita est affectus, in morbum insaniæ ita incidit, vt nūquam posteà conualuerit, vt furorem nunquam deposuerit, vt bonam mētem nunquam reuocauerit, vt à furore, à dementia nunquam se ad sanitatem retulerit: ita discessit à mente, ita mentem perdidit, vt illum nemo posteà ratione præditum viderit.

Iniquus.

Uniust, or not indifferent.

Æquissimus mihi non est, paulò iniquior in me est, iniquiore animo erga me est, animo est in me non satis æquo. Nonnulli sunt in te obscurius iniqui.

Iniuria afficere.

To do wrong.

Iure hæc in me conferres, si quando ipse tecum iniquius egissem, iniquior tibi fuissem, iniurius tibi fuissem, iniuriosus in te fuissem, iniuriosius te tractassem, iniuriam tibi fecissem, intulissem, imposuissem, obtulissem: si te aliqua affecissem iniuria, si à me accepisses iniuriam, tulisses iniuriam: si me iniurium, iniuriosum, iniquum, grauem, tuis commodis aduersum, infensum tibi sensisses, cognouisses, expertus esses: si qua re te læsissem, tuus esset animus a me offensus, molestiam aliquam accepisset, si de tuis cōmodis aliquando detraxissem, tuis commodis obfuissem, obstitissem, ad-

uersatus

uersatus essem: si quia esses à me lacessitus iniuria, prouocatus, commotus.

Iniuria compensata.

Iniurie recompensed: wrong requited.

Iniquè mecum egisti, sed erit, cùm tibi idem reponam: iniuriam fecisti, iniuriã aduersus me intulisti, iniuria me affecisti, lacessisti, prouocasti, iniuriosè me tractasti, acerbè, iniquè, amarè, contra iura omnia, aduersus iustitiæ leges, contrà quàm iustitia præscribit: sed parem aliquando gratiam referam, merita meritis compensabo.

Iniuriam vlcisci.

To reuenge iniurie.

Facilè idem reponam: is sum, qui referre iniuriam facilè possim, par pari referre, æquè te tractare: feres à me, quod intulisti: impunè tibi non erit, quod iniuria me affeceris: impunita non erit iniuria tua, inulta non erit, inulta non relinquetur, vlciscar iniurias tuas, memorem iniuriæ me senties, experieris.

Iniurias non vlcisci, laudabile existimo.

Not to reuenge iniurie, I iudge it praise worthie.

Nihil iudico, duco, censeo, statuo laudabilius, quàm iniuriarum rationem non habere, non ducere: quomodo quidem ego existimo, vt ego quidem arbitror, opinor, puto, autumo, sentio, vt opinio mea est, vt mea fert opinio, quãtum quidem assequi iudicio possum, vt mihi suadet ratio, ostendit ratio, nisi iudicio

fallor, iudicij ſum expers, rudis planè ſum: nihil eſt præſtantius, laudabilius, ad laudem illuſtrius, quàm iniurias contemnere, nihili facere, obliuiſci, ex memoria delere, minimè perſequi, vlciſci nolle, vltione non perſequi, referendæ iniuriæ curam non ſuſcipere, de iniuria perſequenda, vlciſcenda, referenda, de iniuriarum vltione minimè laborare, nihil omnino cogitare vltionem iniuriarum non ſpectare, non curare: in cõtemnendis iniurijs, obliuiſcendis, ex animo euellendis, ex memoria delendis, obliuione voluntaria conterendis, eximia ſita laus eſt, ea laus eſt, qua nulla præſtantior.

In iuſtitia virtutes omnes.

All vertues are comprehended, or conteined in onely iuſtice.

Omnes inſunt in vna iuſtitia virtutes, iuſtitia continentur, compræhenduntur, continet iuſtitia, compræhendit, complectitur omnes virtutes: omnes ad vnam iuſtitiam virtutes referuntur, ab vna iuſtitia pẽdent, in vna iuſtitia includuntur: qui iuſtitiam tenet, non eſt vt virtutem vllam præterea deſideret, requirat expetat: nulla virtute iuſtus caret, nulla virtus abeſt à iuſto: coniunctæ ſunt, colligatæ, connexæ cum iuſtitia virtutes omnes.

In liberos non ſæuiendum.

We muſt not rage againſt our children, or we ought not to be cruell ouer our children.

Sæuire in filios, ſæuitiam aduerſus filios exercere, crudeliter agere cum filijs nunquam debemus: tanti nihil eſſe debet, vt crudeles in liberos ſimus, vt crudeles

les nos liberi nostri experiantur: si quid agitur cum filijs, crudelitas absit, nunquam crudelitati locus est.

Innumeris periculis exposita est vita hominum.

The life of man is open to infinite perills, or subiect to many daungers.

Innumeris fortunæ telis proposita est, èxposita est, patet hominum vita: impēdent, imminent hominum vitę casus innumeri: euentus rerum varij singulis propè horis extimescendi: quisquis vitam ingreditur, in hanc lucem prodit, spiritum è cœlo ducit, huius lucis vsura fruitur, cum casus innumeri manēt, ei & quæ velit, & quæ nolit, expectanda multa sunt, eius animus ex vario rerum euentu perpetuò fluctuet necesse est.

Inofficiosus & inhumanus.

Vncourteous and vnkinde.

Omnis officij & humanitatis expers est: lōgè abest ab officio & humanitate: prorsus humanitatem ignorat: ab humanitate remotissimus est: nihil possidet humanitatis: minimè omnium humanitatem colit, diligit, exercet.

In otio viuere.

To liue at ease, or in rest.

Præstabo tibi otium: efficiam, vt quietè fruaris, vt quietè agas, quietè viuas, quietā vitam ducas, & summa sit rerum tuarum tranquillitas, summa tui animi quies, vt otio tibi frui liceat, otiosè viuere, otiosam vitam agere, peragere, ducere, traducere, viuere.

In Republica iustitia sequenda.

Iustice to be followed in a common wealth.

In administranda,tractanda Repub.in administratione Reipublicæ, ius,honestum, rectum tueri,spectare,sequi,nihil præterea debemus.

Insanus.

Madde or out of his wits.

Quia causa cecidit,litem perdidit,furere cœpit, ad insaniam, furorem, dementiam, amentiam redactus est,mente captus est,mentem amisit, mens eum reliquit,defecit,destituit:incidit in insaniæ morbum, prolapsus est in furorem, à se ipso discessit, à mente discessit,sapere desijt.

Inscius reuertor.

I returne vnwitting,or vnknowing.

Redeo,reuertor,reuerto, refero me ad rus, repeto rus insciens,imprudēs,inscienter,præter voluntatem: pedes me ad rus inscientem referunt.

Insectari.

To reprehende sharply, or to exagitate.

In hoc Epicurum Stoici malè accipiunt, accusant, exagitant,insectantur,conuitijs vrgent.

Insidiati mihi sunt, quibus potissimum credidi.

They haue entrapped me,or laide waite for me,whome I chiefly trusted.

Quorum

Quorum ego fide nitebar maximè, quibus ego fidei habebam plurimum, quibus apprimè credebam, quorum in fide multum ponebam, quorum esse minimè dubiam, aut infirmã fidem existimabam, ij mihi insidias fecerunt, insidiose vim, damna, ignominiam intulerunt, obtulerunt, insidiosè me tractarunt, insidijs petiuerunt, oppresserunt, perdiderunt, à me defecerunt, desciuerunt.

Insomnia laborare.

I could not sleepe all the whole night, or I slept not one winke all this night.

Somnum hac nocte nunquam vidi, oculis nunquã vidi meis, capere nunquam potui: somnus hac nocte meos oculos effugit, abfuit à meis oculis, nunquam se obtulit oculis meis: refugit a meis oculis: noctem insomnem duxi: insomnia laboraui: perpetua vigilia sum vexatus: spatium noctis vniuersum peruigilaui: soporem nunquam gustaui: nunquam quieui: quies nunquam data est: omnes mihi noctis partes vacuæ somno, expertes somni, sine somno fuerunt.

Insontem accusas.

Thou accusest the innocent, or giltles man.

Accusas, culpas immerentem, expertem culpæ, vacuum à culpa, remotum à culpa damnas, in iudicium vocas, rem facis, persequeris: vitio tribuis, vitio vertis: fraudi das immerenti, ei, qui culpam non commisit, culpæ sibi conscius non est: confers culpam in expertem criminis, insontem, immerentem, innoxium: exagitas illum, in culpam vocas, in infamiam vocas, adducis iniustè, sine causa, iniuria, immeritò, contra quàm ius est. Vide, Immerito accusatus.

Institutum tuum vrge, si ita expedit.

Continue or go forwarde as thou hast begonne, if it be for thy profite and commoditie.

Perge, vt cœpisti, tene tuum institutum, tene quem cœpisti cursum, qua ire via cœpisti, ea perge: tuam consuetudinem tuere, ac serua, si tibi vtile est, si vtilitas tua ita fert, si suadet vtilitas, si è re tua, è commodo tuo, ex vsu tuo, si ratio rerum tuarũ ita postulat, si tibi conducit, expedit, prodest, bono est, emolumento est, vtilitati est, si est, vt iuueris, vt vtilitatẽ capias, fructũ feras, percipias, colligas, si fructuosum est.

In summas ædes aufugit.

He fledde away, and ranne vp to the toppe of the house.

Effugit, fuga se abripuit, fuga euasit, ad ædiũ summa, ad summas ædes, ad fastigium, ad culmen, ad superiores, excelsiores, sublimiores ædium partes: abdidit se in summas ædes, fuga se contulit in summas ædes, fuga petiuit summas ædes.

Intemperantia languesit corpus.

The body is weakned or made feeble with inordinate or dissolute liuing.

Vires corporis tibi minuit, diminuit, imminuit, cõminuit, infirmauit, debilitauit, ademit, abstulit, afflixit vitæ ratio minimè moderata, incontinẽtia, intemperantia, nequitia, luxus, libido: vita immoderatè, incõtinenter, intemperãter, dissolutè, nequiter, sine modo, luxuriosè

luxuriosè traducta, ad infirmitatē, ad imbecillitatem, tenuitatem corporis te redegit, adduxit, minus te firmum, minus validum, minus valentem, minus robustum, infirmiorem, imbecilliorem reddidit.

Inuidia premitur.

Hated or enuied of all men.

In summam omnium inuidiam incidit, adductus est: inuidiosus apud omnes factus est: sic egit, ita se gessit, vt odio illum omnes habeant, vt in illum nemo sit optimè animatus, nemo illi faueat, nemo de illo benè existimet: nulla fruitur hominū beneuolentia: premitur odio multorum, inuidiæ est, odio est, in inuidia est, in odio est. Quis est, quem nulla vnquam attingat inuidia? Disrumpitur inuidia. Valdè Ciceronem exercebat inuidia: Ciceroni multum erat cum inuidis negotij.

Inuidia ex dignitate.

I am enuied or haue more ill will abrode, because of honor, preferment or estimation.

Sunt, quos meus in hac republica splendor offendat, lædat, pungat, angat, sollicitet, afficiat, vrat, dolore, cura, molestia, sollicitudine afficiat: florere me dignitate, existimatione, honore, tantum honoris mihi haberi, tantum mihi dignitatis in republica esse, auctoritatis, gratiæ, existimationis, splendoris, nonnulli molestè ferunt, grauiter, acerbè, ægrè, iniquè, iniquo animo, non facile, non leuiter, non patienter tangit animos quorundam, sollicitos habet quosdam hic splendor meus, hæc species, dignitas.

In virtutis studio valetudo curanda.

In the studie of vertue our health is not to be neglected.

Ita sequi virtutem debemus, vt valetudinem non in postremis ponamus: valetudinis cum virtute ducẽda ratio est: sic ad studia virtutis debemus incũbere, ne valetudo negligatur: plurimum virtuti, aliquid tamen valetudini tribuatur: spectanda virtus est, cum ea tamen, ne despiciatur valetudo: excubare virtutis in studio, præclarum est, indormire tamen valetudini minimè debemus: excolatur animus virtutibus: nonnihil tamen corpori seruiatur.

Iracundè commissum, dedecus.

Shame followeth euery furious acte: vvhat so euer thou doest in thine anger, it will turne to thy shame at the last.

Quicquid ages iracundè, iratus, in ira, cum ira, irato animo, animo ira commoto, ira affecto, ira agitato, commotus ira, adductus, inductus, impulsus, incitatus, actus, accensus, inflammatus, iracundiæ vi impulsus, turpiter ages, tua cum infamia, ignominia, tuo cum dedecore: turpi te macula inquinabis, labe inficies, dedecus, infamiæ turpis nota consequetur.

Iracundia multorum malorum causa.

Anger the cause of muche mischiefe.

Sanè, sanequam, certè, certò, verè, re vera, profectò sine dubio, procul dubio, absque dubio, quidem, omninò, planè, qui se iracundia patitur efferri, auferri, abripi, à ratione auocari, à consilio abduci, is ea committit, quæ mox infecta velit esse, in eum locum adducitur,

ducitur, vnde exitus non facilè datur, eò progreditur, quò paulò pòst pœniteat: certum est, pro certo est, exploratum, minimè dubium, nemini obscurū, omnibus apertum, patet, constat, perspicuum est, oculis, ac sensu ipso percipitur, vocari in dubium non potest, venire in dubium, ambigi, dubitari, nemini dubium esse potest, quin multa mala pariat iracundia: ex iracundia mala multa gignantur, erumpant, fluant, manent, multorum malorum culpam sustineat iracundia, multorum malorum causa sit in iracundiam conferenda.

Iter difficile.

A troublesome or euill iourney.

Admodum hieme difficilis est, incommoda, impedita, plena laboris, & periculi ea via, quę Patauio Vincentiam fert, ducit: qui se per hiemem in viam dant, vt Patauio profecti Vincētiam perueniant, molestiam itineris nō mediocrem sustineant necesse est, in multas incidāt difficultates, multa subeant pericula, multos perpetiantur labores, incommoda, odiosa, dura minimè pauca: iter habentibus Patauio Vincentiam difficultates occurrunt multæ, viæ difficultas, & iniquitas impedimenta opponit maxima, impedimento vehementer est. In alpibus Apennini magnæ sunt, admodumque difficiles locorum angustiæ: impeditissimus est aditer faciendum mons Apenninus: labor est maximus per montem Apenninum iter habentibus.

Iter omittendum infirma valetudine.

A iourney is not to be taken in hande when a man is ill at ease.

Iter ne ſuſcipias, ne te viæ cōmittas, ne te in viam des, ne ad iter aggrediaris, ne viam ineas, itineris conſilium abijce, omitte, dimitte, niſi rectè vales, niſi optima vteris valetudine, niſi corpore benè firmo. Ne te viæ, niſi confirmato corpore committas. Vide Non niſi ſoſpes, &c.

Itinera hyeme odioſa.

Euill iournying in winter, or winter iourneys are tedious.

Viæ ſunt hyeme difficiles, incommodæ, impeditæ, abruptę, iter habentibus odioſæ: nihil incommodius, quàm hyeme iter habere; per hyemem itinera ſunt incommodi plena, interdum etiam periculi.

Iucunda coniunctio.

A ioyfull ioyning.

Spero nobis hanc coniunctionem voluptati fore: optimam de hac habeo coniunctione ſpem: de hac coniunctione ſpero optimè, ſpes me tenet optima, ſuſtentat, alit, paſcit, fouet.

Iudicium à naturáne, an abarte.

Whether nature or arte giue iudgement I know not.

Nondum planè conſtitui, nondū ſatis habeo conſtitutum, deliberatum, exploratum, explicatum, certum, naturæ'ne munere, an diſciplinæ beneficio iudicium contingat: iudicij præſtātia, excellentia, vis, ſubtilitas vtrum à natura, an ab arte, ac diſciplina proficiſcatur, contingat, manet: naturæ'ne priuilegio concedatur, an ſit ab arte, ac diſciplina petendum: vtrum is, qui

is, qui rectè iudicat, qui optimè iudicio vtitur, qui iudicio valet, præstat, excellit, facultatem habet optimè iudicandi, iudicio abundat, naturæ debeat an arti, bonum illud acceperit à natura, an hauserit à studio, ab arte, à disciplina: naturalène bonum sit iudicium, an potius in studio, arte, disciplina, doctrina, ratione situm, eiusmodi, quod doctrina tradatur, à præceptis ducatur, discatur à magistris.

Ius dicere.

To iudge according to the lawe, or to minister iustice.

Modò in hoc, modò in illo oppido forum agit, ius dicit, litigantes audit, res iudicat, causas cognoscit, iudicat de controuersijs, discrepat, ius administrat, distribuit.

Iustitia sequenda.

Iustice is to be followed: vpright and true dealing is to be vsed.

In administranda, gubernanda, regenda, capessenda, tractanda, curanda, gerenda republica, in administratione reipublicæ, in omni publico munere id solũ spectare debemus, quid iustitia postulet, ratio præcipiat, cõscientia proponat: quid sit iustitiæ, quid rationi consentaneum, quid cum iustitia, cum ratione congruat, conueniat, consentiat: habenda iustitiæ summa ratio est: vna spectanda iustitia, nihil præterea: de vna iustitia laborandum: sequi ducem iustitiam debemus, agere cum iustitia, iustè, rectè, honestè: honestũ tuendum est solum: nostra consilia, nostras actiones ad vnã iustitiam referri decet: propositam habere iustitiam, iustitiæ seruire, ad iustitiam incumbere, iustitiam exer-

cere debemus: non est in administranda Republica ne latum quidem vnguem, ne minimum quidem, ne tantillum quidem à iustitia discedendum, recedendum.

Iustitia curæ paucis.

Few haue regarde what is iuste.

Pauci sunt hac ætate, his temporibus, quibus iustitia curæ sit, cordi sit, qui iustitiam colant, exerceant, curent, tueantur: qui de iustitia laborēt: apud quos iustitia locum habeat, iustitiæ locus sit, qui se iustos præbeant.

Iuuabo te, vbi opus erit.

I will helpe thee, when thou shalt haue neede, or as neede shall require.

Adero tibi, præstò ero, opem feram, cum res postulabit: vbi opus erit, vbi tempus feret, tuis temporibus, si rerum tuarum ratio poscet, si occasio requiret, vbi erit è re tua, si pertinere ad te videro.

Iuuentus improuida.

Youth is incircumspecte.

Si, quid insidiarum in vita sit, minus despicis, intelligis, vides, minime miror, cùm adhuc intra iuuentutis annos tua versetur ætas, cùm iuuentutis annos egressus nondum sis, nondum excesseris, præterieris: cùm in ea sis ætate, quæ valet viribus, ac prudentia infirma est, viribus floret, à prudentiæ maturitate procul abest, longè distat à prudentia, in qua prudētia locum non habet: cùm adhuc ætas tua tanquam in vere sit: cùm ætas iuuentutis, in qua tu es, inopia ferè iudicij laboret, expers iudicij, prudentiæ grauitatisq; sit: vsu

rerum,

rerum,& experientia,vnde oritur prudentia,prorſus vacet,vacua ſit,careat.

Labi procliuè.

It is eaſie to fall, or to do amiſſe.

Quis eſt,qui non offendat,non labatur in tam difficili, tamque lubriqua rerum humanarum via?cui timenda offenſio non eſt? cui nam effugere, ac vitare offenſionem licet? quis ab offenſione præſtare ſibi quicquam poſſit?

Labor.

Labour.

Si hoc ſuſcipis,ſumis, aggrederis, negotij multum habebis,feres laboris plurimum,rem difficilem, grauem laborioſam, operoſam, moleſtam in primis ac duram ſenties, experieris, cognoſces: valdè tibi erit elaborandum,magnus in te labor,graue onus incumbet,oneris multum,laboris,moleſtiæ ſuſtinebis.

Labor finitus.

I am eaſed of my labour, or my taske is ended.

Perfunctus ſum labore grauiſſimo,leuatus ſum, liberatus, exſolutus, exemptus: labori finis impoſitus eſt,factus eſt:labor ad finem peruenit,terminatus eſt: iam me non vrget, non premit, non vexat labor: labori grauiſſimo quies aliquando ſucceſſit: labori finem feci, finem impoſui: laborem terminaui,ad finẽ, ad exitum perduxi: laborem pertuli donec opus fuit, toleraui quatenus debui,ſuſtinui quoad oportuit.

Læſus immeritò.

Hurted wrongfully, or otherwise then I haue deserued.

Iniquè mecum egisti: iniuriosè me tractasti, iniuriam mihi intulisti, iniuria me affecisti, iniuriā abs te tuli, passus sum, læsus à te sum immerito meo, nullo meo merito, nulla culpa, absque culpa, nihil tale meritus: læsisti me immerentem, innocentem, nullius affinem culpæ, omnis expertē culpæ, ab omni vacuum culpa. Vide, Immerito molestijs afficior.

Lætitia affectus.

A glad man.

Patrem tuum recens hic de tua dignitate nuntius allatus extulit lætitia, affecit lætitia, perfudit lætitia, lætitia compleuit, lætitia cumulauit: pater tuus lætitiam cepit, sumpsit, hausit, lætitia affectus est, lætatus est, gauisus est, recreatus est, gaudium cepit, iucunditatem hausit.

Largitio inuidiosa.

Hatefull briberie.

Inuidiosa est apud omnes bonos, tua largitio: inuidiam tibi parit, inuidiæ tibi est ista largitio, lædit animos bonorum: tua largitione grauius afficiuntur bonorum animi: largitione alienas à te bonorum animos.

Latrones ex occulto inuadūt viatores.

Theeues set vpon trauellers vnawares.

Latrones ex insidijs, ex occultis locis, subitò, repentino, improuiso, nec opinato impetu viatores aggrediuntur, adoriuntur, inuadunt, petunt, viatoribus inuadunt,

inuadunt, in viatores inuadunt, irruunt, impetum faciunt, impreſſionem faciunt, incurrunt, inſiliunt, ſeſe immittunt, ſe inijciunt, ſeſe inferunt.

Laudare.

To prayſe or commende.

Omnes te ſummis laudibus extollunt, efferunt, exornant, in cœlum ferunt. Semper aliquid ex te promis, quod alios delectet, teipſum laudibus illuſtret. Satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Cato res Ciceronis ornauit, diuinis laudibus extulit, proſecutus eſt. Brutus effertur laudibus, in cælum tollitur, quia cõtendit, vt in priſtinam libertatem patriam vindicaret, reſtitueret.

Laudem ſummam conſequutus eſt.

He hath gotten him a great prayſe, or commendation.

Summam ex eo munere laudem, eximiam, egregiam, miram, mirificam, inſignem, immenſam, ſingularem, vnicam, incredibilem, excellentem, præſtantiſſimam, ampliſſimam, æternam, ſempiternam, immortalem, non mediocrem, non minimam, non vulgarem conſecutus eſt, adeptus eſt, obtinuit, tulit, quæſiuit, ſibi peperit, comparauit. Ieci fundamenta dignitatis meæ, ingreſſus ſum in laudem. Nunc tuæ ſummæ laudes excelſo, & illuſtri loco ſitæ ſunt.

Laudis ſtudioſus.

Deſirous of prayſe, or hunting after prayſe.

Omnes tuos ad laudem impetus noui: quàm ſis ad laudem propenſus, inclinatus, quanti ſit apud te laus,

quàm labores de laude, quàm vehementer ad laudem incumbas, quàm laudi ſtudeas, quo ſtudio laudem ſequaris, quæ tua ſit laudis cupiditas, præclarè noui, habeo cognitum.

Laus gratiæ cauſa.

To currie fauour by prayſing of men, or to commend other thereby to get himſelfe more fauour of them.

Tantas in me laudes confers, effers me laudibus non iudicio tuo, meritóue adductus meo, ſed vt ineas à me gratiam, gratiæ cauſa, ad colligendam beneuolentiam: gratiā meam his laudibus aucuparis, das hoc auribus meis: largiris mihi, non veritati: auribus inſeris, loqueris ad voluntatem: non hoc ex animo facis, ſed eo conſilio id ſpectas, id ſecutus, meum tibi vt amorem hoc artificio, hoc tuo quaſi merito adiungas, vt mihi gratificeris.

Laus ex ſola virtute.

A commendation riſing from vertue onely.

Tuæ ſapientiæ eſt, veram laudē in vna virtute poſitam exiſtimare: pertinet ad ſapientiam tuam, ſpectat ad eam ſapientiam, qua tu excellis: eſt eius ſapientiæ, quæ in te elucet, viget: tuum eſt, qui ſapiens & haberis, & es, qui ſapientia præſtas, abundas, in quo ſapientiæ plurimum eſt: virum ſapientem, qualis es tu, decet in animum inducere, pro certo habere, ſic habere, ita credere, exiſtere veram laudem, naſci, fluere, manare ab vna virtute, verum decus in vna virtute ſitum eſſe, locatum, conſtitutum, ſolidam gloriam non aliunde, quàm à virtute pendere.

Laus

Laus in virtute posita.

Iust praise consisteth in vertue only.

Tuæ sapientiæ est, veram laudem in vna virtute positam, sitam, locatam, constitutam existimare, in vna virtute consistere, ab vna virtute pendêre, nasci, fluere manare, proficisci.

Leuatio luctus.

A lessening of sorrow.

Hæc te non mediocriter cogitatio cõfirmabit: hæc si tibi propones, apud animũ tuum propones, animo agitabis, animo spectabis, leuabis tuum luctum, leuabis te luctu, ægritudine, sollicitudine, cura: sanabis vulnus doloris tui, ipse te lenies.

Leuis.

Light, inconstant or vaine.

Vaniorem, inaniorem, leuiorem, dementiorem vidi neminem: nihil est in eo grauitatis: nihil est illo inanius, vento leuior est, aëre inanior.

Leuiter offendere.

Somewhat to stirre a man, or a litle to displease a man.

Dedi operam, vt eum parcè ac molliter læderem: non id egi, vt eum grauiter offenderem: nihil paulò grauius in illum cogitaui: cõmouere illum leuiter volui, non acerbè vexare.

Liberalis.

Liberall, or bountifull.

Latè patuit in prouincia liberalitas tua, tua excelluit humanitas, nemo est à te nõ liberalissimè tractatus, liberalitatem nemo in te desiderauit: prolixa fuit in primis, ac benefica natura tua, sic vt nihil magis: fructus liberalitatis tuæ vberrimi fuerũt, ad multos peruenerunt, pertinuerunt.

Libertatis cura.

A care or regarde of libertie and freedom.

Nihil aliud à communi libertate, nihil præter cõmunem libertatem quæsiui, curaui, secutus sum, spectaui: ad vnam ciuium libertatem meas curas intendi, cogitationes retuli, studia contuli: præter communem libertatem, proposita mihi nulla res fuit.

Libertatis publicæ ratio habita.

Consideration of the publicke libertie.

Nihil antiquius communi salute, ac libertate iudicaui: omnium rerum mihi prima fuit publica salus ac libertas, cõmuni salute ac libertate nihil mihi potius, omnia sum aspernatus præ communi salute ac libertate: pluris apud me, quàm omnes res, vniuersorum salus ac libertas fuit: nulla de re tantum, quantum de communi salute ac libertate laboraui: salutem publicam ac libertatem omnibus rebus anteposui, præposui, prætuli: curæ mihi fuit salus ac libertas publica, sic vt nulla res æquè.

Libri tui in honore habentur.

Thy bookes are much regarded, or are in great estimation.

Libri tui omnibus vigẽt, egregia de tuis libris opinio

nio est, existimatio est: præclarè de tuis libris omnes existimant, sentiunt, iudicant: tui libri magno apud omnes in honore sunt, omnium iudicio probantur, laudibus ac testimonijs ornantur, in manibus sunt, in manibus habentur, manibus teruntur, sinu fouentur, circumgestantur, circumferuntur, assiduè tractantur, diligenter euoluuntur, accuratè ac studiosè lectitantur.

Liceat mihi cubiculo tuo vti.

Let me haue the vse of your chamber.

Velim mihi commodes, accommodes de cubiculo: si mihi cubiculum concesseris, meo commodo consules: sine me vti cubiculo tuo, liceat mihi cubiculo à te concesso, tuo beneficio frui, tua humanitate ac liberalitate.

Literæ gratæ.

Letters welcome.

Literæ tuæ, quòd facilè cognouerim, intellexerim, senserim, coniecerim, iudicauerim, quod facilè nosse, intelligere, sentire, conijcere, coniectura consequi licuerit, potuerim, ei periucundæ fuerunt, summam ei iucunditatem attulerunt, pepererunt, magna illum iucunditate affecerunt, perfuderunt. Omnis amor tuus ex omnibus se partibus ostēdit in tuis literis. Quas ad me literas mittis, multo sunt officio refertæ, multis insignes amoris notis.

Literæ detrimentum ex morte Aldi Manutij accipiunt.

The death of Aldus Manutius was a great losse to learning.

Multum iacturæ tulerunt, graue detrimentum cęperunt, damnum adierunt, subierunt præclara literarum studia ex morte, obitu, interitu Aldi Manutij: graue vulnus optimis literis inflixit obitus Aldi Manutij: ictu graui perculsæ sunt, ac pene prostratæ liberales disciplinæ, quo die Aldus Manutius occidit, interijt, extinctus est, perijt, obijt, diem obijt, oppetijt, decessit, è vita discessit, è vita exijt, vitam cum morte commutauit, morte sublatus est, morte nobis ereptus.

Literas non committere.

Not to deliuer letters.

Eiusmodi sunt, eius generis, eius momenti meæ literæ, vt eas non audeam temerè committere: nō eius generis, non eiusmodi sunt meæ literę, vt eas audeam temerè credere: quoties mihi certorum hominum facultas erit, literas ad te dabo.

Literæ semper iucundæ & vtiles.

Learning is alwayes both pleasant and profitable.

Mi fili, semper vsui, semper delectationi literæ tibi erunt, fructum tibi afferēt & voluptatem in omni vita: nunquam non vtiles, nunquam inquam iucundæ non erunt: te semper commodis, semper voluptate afficient, iuuabunt pariter, & oblectabunt in vniuerso tuæ vitæ cursu, vitæ tuæ par atque adeò longior literarum vtilitas erit.

Longinquitas temporis finem doloribus affert.

All sorow, paine and griefe in continuance

of

of time will ceaſe or haue an ende.

Dolorem minuit ac mollit dies, temporis longinquitas, vetuſtas: quæ nobis à fortuna infliguntur vulnera, ſanantur vetuſtate: vis doloris cum tempore langueſcit: detrahit de dolore dies, atq; adeò extinguit omnem, planéque tollit: quouis dolore affectis, quouis malo laborantibus medetur tempus, medicinam dies affert: vetuſtas opem fert, opitulatur, ſubuenit, auxilio eſt, ſubſidio eſt: finẽ doloris dies affert: habet hoc tempus, vt quemuis dolorem, quamuis acriter in animo inſitum, euellat atque abijciat: eſt hoc temporis, vt omnem malorum memoriam, omnem aduerſæ fortunæ recordationem, ex animo deleat, auferat, eripiat, expellat, amoueat. Vide, Calamitatum conſuetudine.

Lucri gratia cauſæ dicuntur.

Gayne maketh many a pleider: Pleiding for gayne.

In forum multi veniunt, vt lucri plurimum faciant: vt lucrentur plurimum, vt quæſtus maximos faciant, lucri cupiditate adducti, lucelli dulcedine illecti, lucrũ ſpectantes, lucrum ſequuti, lucro commoti, lucri ſpe: multos in forum lucri cupiditas adducit, ad agendas cauſas impellit: facit augendæ rei cnpiditas, ditandi ſpes, congerendarum opum, comparandarum diuitiarum, pecuniæ colligendæ, vt in forum ſe conferant, vocem in quæſtũ conferant, vt agendis cauſis ſe dent, vt induſtriam ſuam in agendis cauſis exerceant.

Lucrum ex re turpi.

A diſhoneſt or ſhamefull gayne.

Quæſtus maximos, ſed turpiſſimos fecit: rem fecit turpiſſimè, diuitias quæſiuit malis artibus : multũ ille quidem, ſed inhoneſtè, ſordidè, parum laudabiliter, cum dedecore lucratus eſt, cum infamia lucrum ſecutus eſt, tanti lucrum fecit, ea cupiditate ad lucrum incubuit, vt expetẽdum ſibi vel cum dedecore, cum infamia, turpi cum fama exiſtimauerit.

Luctus perpetuus.

Continuall mourning.

Conficior lachrymis, ſic vt ferre non poſſim: luctu conſumor, contabeſco, modum lugendi nullum facio, finem lachrymis non impono, lachrymis me dedo, lachrymis nunquam abſtineo, vberrimus meus eſt fletus: aſſiduę lachrymæ, perennes lachrymæ: nunquam non lugeo, luctum nunquam intermitto, non dimitto, non omitto, totus in luctu verſor, aſſiduæ fluunt ex oculis lachrymæ, comes mihi vbique luctus eſt : perdunt me lachrymæ, nunquam lachrymis non hument oculi.

Luctus è publico malo.

To ſorrow and mourne for the common wealth.

Luges Reipublicæ tempora : tuus fletus exoritur, exiſtit, manat, proficiſcitur à publicis malis : lugendi cauſam affert aduerſa fortuna Reipublicæ: calamitas publica, publica mala te ad fletum impellunt: miſeriæ tibi publicæ lachrymas excutiunt, exprimunt.

Mœreo.

I lament, mourne, or take thought.

Iaceo

Iaceo in mœrore, ac ſordibus: afflictus mœrore iacet, ac languet animus meus. Peſſimè eſt animo meo: triſtiſſimis vexor, & conficior curis: mœrore contabeſco, debilitor, conficior, obruor, nil me triſtius, deditus triſtitiæ ſum, triſtis valde ſum, animi dolore torqueor, iucunditas à me omnis abeſt. Nimiùm te triſtitiæ tradidiſti.

Magiſter ſcripturæ.

The maiſter of requeſts, or ſecretarie.

Magiſter ſcripturæ eſt, ſcripturæ præeſt, vectigalibus præeſt, princeps publicanorum eſt, vni potiſſimum demandata vectigalium cura eſt: ei maximè commiſſa vectigalia ſunt: vnus præcipuè vectigalium curam gerit, ſuſtinet vectigalia præcipuo quodam iure, ſummo quodam iure exercet.

Magiſtratui rectè præfuit.

He ſo behaued him ſelfe in his office, that he gat all mens commendacion thereby.

Pater tuus eximiam ex hoc magiſtratu laudem collegit, tulit, cepit, adeptus eſt, conſequutus eſt: præclarè pater tuus hunc honorem geſſit, egregiè ſe pater tuus in hoc munere tractauit: pater tuus hunc magiſtratum pro ſua, reique publicæ dignitate adminiſtrauit.

Magiſtratus certus.

I was ſure he ſhould haue that office, or I neuer doubted that he ſhould come to that honour.

Nunquam dubitaui, dubium nunquam mihi fuit,

ambiguum mihi nunquam fuit, nunquam mihi venit in mentem dubitare, ambigere, suspicari, nunquam mihi fuit obscurum, aut parum apertum, nunquam suspicatus sum fore, vt hic tibi magistratus non deferretur, vt excludereris hoc magistratu, vt repulsam ferres, vt reijcereris: pro certo semper existimaui, certò sum arbitratus, certa spes animum meum tenuit, exploratum mihi fuit, prorsus mihi persuasi futurum, vt ad hunc honoris gradum peruenires, vt aditus tibi, ac via pateret, ne tibi, vnquam eunti ad hunc honorem, via præcluderetur: petitionis tuę ratio nunquã explorata mihi non fuit, incerta, dubia, ambigua, obscura nunquam fuit. Non dubito, quin summum atq; altissimum gradum ciuitatis obtineas.

Magistratus summus.

The highest officer or Magistrate.

Penes eum est potestas, omnia sunt, est imperandi ius, est in omnes imperium: dominatur, imperat, regnat, tenet omnia, rem tenet publicam, arbitratu suo cuncta moderatur ac regit, eius in manu sunt omnia: eius ita potestas latè patet, vt omnia complectatur: eius dominatu nihil vacat, ad eum omnia sunt delata, eius voluntas pro legibus est, ab eius voluntate ac nutu pendent omnes, omnia posita sunt in vnius voluntate. Tanti non est, multis mortalibus imperare, quanti nobiscum hîc vitam ducere.

Magnas res suscipis.

Thou takest vpon thee great matters.

Etiam atque etiam vide, quantum facinus conêre, animaduerte quid suscipias, quid sustinere possis, quã graue subeas onus, quantum tibi oneris imponas,

quantam

quātam ineas rem, cuius difficultatis, cuius industriæ, cuius operæ sit, quàm difficile, durum, spissum, laboriosum, operosum, quantum industriæ, quam facultatem, quas vires, quos neruos, quantum roboris postulet id quod conaris, moliris, tentas, instituis, suscipis, aggrederis: Grauissimis rerum susceptarum oneribus premor: Videre te scio quantum officij sustineam. In arcem huius causæ inuadam, totis viribus, toto pectore contendam.

Magni æstimatur.

He is in great estimation.

Multorum nummorum est mea bibliotheca, pretij magni est, plurimi valet, magnæ æstimationis est: Tanta esse puto verborum tuorum pondera, vt ex tua laude omnia me consecuturum existimem.

Magnitudo animi absque prudentia.

Hart without wit, or a courage without discretion.

Sæpè, qui magnitudine animi præstant, prudentia minus valent: sæpè contingit, euenit, vsu venit, accidit, fieri videmus, non rarò fit, non parùm sæpè fit, vt animi magnitudinem comitetur imprudentia: vt in nonnullis magno animo præditis, animo præstantibus, prudentia requiratur, desideretur.

Maiores nostri diuitias virtuti postponebant.

Our Elders preferred vertue before riches.

Maiores nostri diuitias minimè putabant, vnam virtutem sequebantur: apud maiores nostros minimæ

diuitiarum, virtutis erat ratio maxima : nullo loco a-pud maiores nostros diuitiæ fuerunt, virtus vna vigebat maximè : plurimum semper apud maiores nostros virtus valuit, minimum diuitiæ : opes in minimis ponebant: postremæ omnium rerum diuitiæ illis erant: rem familiarem, quæque nos bona appellamus, parui, minimi, nihili reputabant, ducebant, æstimabant, pendebant, faciebant, flocci faciebant, flocci non faciebant, (idem enim significatur, siue absit, siue adsit particula non) minimi erant apud maiores nostros opes, minimi ponderis, nullo apud eos loco, parui momenti : postremum apud eos locum opes obtinebant, de opibus minimum laborabant : diuitias præ virtute contemnebant, infra virtutem ducebāt, post virtutem habebant, virtute posteriores iudicabant.

Maioribus mentiri turpissimum fuit.

Our forefathers thought it a foule shame to lye.

Maiorum nostrûm ætate, tempestate, temporibus, quo seculo maiores nostri vixerunt, mendacium probro maximo fuit : mēdacium dicere turpissimum fuit, veritas ita colebatur, vt falsi homines pessimè audirēt.

Malè audis.

Thou art euill spoken of, or thou hast an ill name.

Pessimè tibi omnes dicunt, turpissimè atque acerbissimè de te loquuntur : turpia quædam atque inhonesta in te conferunt: valdè te exagitant, iactant, insectantur, vituperāt, accusant, carpunt, vellicant : omnes tibi grauissimè obtrectant, de tua existimatione mul-

tum detrahere conantur,liberrimè inuehuntur in te: nefaria quædam de te dissipant, dissеminant, iactant, maledictis te onerãt grauissimis: maledicta in te conferunt,congerunt,conijciunt: ita de te loquuntur,vt honori tuo labem inferant,aspergant maculas,tenebras offundant:vt honorem tuum turpi labe inficiant.

Maleuolentia à sententia detrusus.

Their malice hath forced me to chaunge my mind or opinion.

Istorum maleuolẽtissimis obtrectationibus de vetere illa mea sententia depulsus sum, deiectus,deturbatus:factum est horum culpa,commissum est horum iniquitate, vt à me a illa vetere sententia desciuerim, vt veterem illum sensum deposuerim, vt abiecta vetere illa sententia,nouam susceperim.

Maritima regio me delectat.

The country by the sea side pleased me best or the sea coast best liketh me.

In maritimis facillimè sum: iucundè versor in maritimis:maritima loca cum voluptate frequento: maritima regione libenter vtor, in ora maritima versari iucundum est: maritima sedes me capit, oblectat, tenet:pascor maritimæ regionis aspectu: meis oculis regione maritima nihil est iucundius:miram haurio iucunditatem maritimæ regionis aspectu.

Maximoperè rogo.

I request earnestly,or I pray thee hartely.

Singulari studio,quàm possum studiosissimè, valdè hoc ex animo à te contendo: hoc à te ita postulo,pe-

to,contendo, vt fortunas in eo meas positas putemi velim existimes quòd à te peto, id eiusmodi esse, vt meæ fortunæ omnes agantur, in eo consistant, locatæ,repositæ,constitutæ,sitæ sint: sic à te peto, quasi in eo mihi sint omnia, quasi rationes ex eo meæ pendeant,ad vnum illud referantur.Officium in te requiro, desidero. Vide Rogo,magnopere.

Medicus eruditus.

A learned Phisition.

Benè doctus est,eruditus, instructus medica scientia,medendi arte,medicis literis: sciens in primis est, peritus,intelligens,gnarus medicinæ; longè processit in medicinæ scientia: nouit penitùs medicinam,tenet,possidet, callet: medicinæ scientiam ita est assecutus,vt pauci.medicinæ scientia valet,floret,præstat, excellit: medicinæ doctrina,scientia,peritia,cognitione,intelligentia,eruditione cum paucis conferendus est, inferior nemimi; nota ei præclarè medicina est: patent ei, quæ multos latent ex medica scientia, ex medendi arte:multum hausit ex ijs libris,vnde manat medicinæ cognitio: medicinæ scientiam planè complexus est,mente atque animo compræhendit, ingenio sibi aperuit,comparauit,peperit.

Meditari.

To muse,study,or deuise.

Colligere se: animum intendere,meditari accuratius; diligentius animaduertere,considerare cum animo suo,versare in animo, diligenter animo tractare, agitare animo diligenter, studiosè cogitare: intento aliquid animo intueri, attentius examinare, perpendere,ponderare.

Mei

Mei ingenij homo.

One of nature, or disposition, or a meete mate for me.

Valdè mihi aptus est, mirè factus est ad naturam meam: vehementer est ad meæ vitæ rationem & consuetudinem accommodatus: conuenit optimè cum ingenio meo.

Memor beneficij.

Mindfull of a good turne, or neuer to forget the same.

Semper meminero, memoria retinebo, tuebor mēte atque animo, nunquam obliuiscar, nunquam apud me delebit obliuio, beneficia, officia, merita erga me tua: memorem me tibi, quæcunq; se occasio dederit, obtulerit, probabo: gratum me tibi memoremq; præstabo: præstabo tibi eam, quam debeo memoriā meritorum tuorum: gratum me nullo non loco, nullo nō tempore memorē gratiæ referendæ, studiosum senties, experieris, cognosces: grati animi laudem in me non requires, non desiderabis: non committam, vt ingratum me appellare possis: vt in illo officio, quod benè merētibus debetur, iure me ac meritò quisquam repræhendat: vt in vitium ingrati animi non incidam: ne quis mihi turpem ingrati animi notā possit inurere, ingrati animi vitium, crimen, culpam possit obijcere: vt ab ingrati animi vitio, crimine, culpa, turpi infamia longissimè seiungar, discedam, absim, valdè procul absim: vt ea culpa vacem, vacuus sim, caream: eius culpæ sim expers, quam committunt, qui nullam referendæ gratiæ curam suscipiunt, qui de referēda gra-

tia minimùm laborant: enitar,& vt ſpero,conſequar, vt te de me optimè eſſe meritũ læteris, vt officia erga me tua voluptati ac lætitiæ tibi ſint, vt ex tuis in me officijs voluptatem capias, officiorũ tuorum fructum feras, percipias, colligas, vt gratiæ tuæ gratiam à me feras, vt parem tibi referam gratiam, par pari vt referam, vt officia tua paribus officijs æquem, compenſem, remunerem, remunerer. Vide beneficij memor.

Mendax.

A lyer.

Quicquid dicis, falſum eſt, minimè verum, alienum à veritate, à veritate ſeiunctum, abeſt à vero, aduerſatur veritati, mendacium eſt; falſa eſt omnis oratio tua: quicquid loqueris, falſò loqueris.

Mens mutata.

His mind is chaunged.

Ad eundem furorem redijt: iterum defecit à fide, à priſtina mente deſciuit, diſceſſit, abductus eſt.

Mente captus.

Mad or beſide him ſelfe, or out of his wit.

Deſipiens eſt, delirus, ſtultus, demens, inſanus, à ratione auerſus, omni ratione carens, delirat, deſipit, diſceſſit à mente, deſertus à mente, deſtitutus à mente, mens eum & ratio reliquit, inſanit, mentem amiſit, mente captus eſt: mentis lumine obcæcatus, mentis compos non eſt, mentis inops, mentis expers, inops à mente.

Mercatores diuites.

Rich

Rich marchaunts and wealthy.

Rem possident benè magnam, amplissimam, vberrimam, copiosam in primis mercatores Florentini: diuitias tenent summas, abundant, effluunt re, copijs, diuitijs, opibus: diuites oppidò sunt, locupletes, opulenti, copiosi, à re parati, instructi, firmi, benè nummati, benè peculiati: ampla res est, prolixa, copiosa, minimè angusta, benè multa mercatoribus Florentinis: ampla re vtuntur, prolixa, copiosa, benè multa.

Merita tua non assequor.

I can neuer deserue your benefits bestowed vppon me.

Nullam vnquam tuorum meritorum partem assequar: nunquam non modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia tuum beneficium consequar. Tantum tibi debere existimo, quantum persoluere difficile est. Cui re vix referre gratias possum, ei verbis non patitur res satisfieri. Magna eius in me sunt non dico officia, sed merita. Magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Incredibilem tibi quendam amorem, & omnia in te summa ac singularia studia debeo.

Metellus æquo animo exul.

Metellus left his country willingly.

Summa voluntate Metellus patria cessit, æquissimo animo, minimè contra voluntatem: summa fuit Metelli æquitas animi in patria relinquenda. Vide Exulauit æquo animo.

Metu liberare.

To be set free from feare.

Abstergere volo animi tui metum, leuare metu, liberare metu, à metu abducere, metum expellere, eijcere, auferre: animum confirmare, constituere, efficere, ne quis animum tuum metus perturbet, afficiat, commoueat, exagitet.

Metus miseriarum ex bellis.

Feare of miserie after warre.

Hæc si bella durabũt, permanebunt, perpetua, diuturna, fixa erunt, quo cœpêre cursu, procedent, longius producentur, consistent: nisi bellis finis imponatur, fiat, afferatur: nisi bella finiantur, terminentur, ad exitum perducantur, perijt vniuersa Italia, desperata omnis Italiæ salus est, actum est de salute Italiæ, suam salutem Italia desiderabit.

Miles fortis.

A stout or valiant souldier.

In bellis ostendit se, probauit, præbuit, præstitit acrem & fortem virum: ita fortem, ac strenuam operam nauauit, vt magnam ex ea laudem tulerit: rem bellicam fortiter ac strenuè tractauit, gessit, administrauit.

Milites egregij cæsi.

Notable souldiers slayne.

Periere milites virtute præstantes: interijt egregia militum manus fortitudine excellens, cuius virtuti committi multum posset: flos exercitus, & robur vniuersum sobolesque militum cecidit. Vide In acie ciciderunt.

Miser ob contemptos patronos.

A wretch

A wretche, or in misery for despising his patrons and mainteyners.

Cecidit, concidit, perditus est, extinctus est, perijt, exitium, perniciem, vltimam calamitatem subijt, sustinuit, tulit, perpessus est, sensit: extremam fortunam subijt, adiuit, sensit, deiectus est in miserrimam vitam, summas miserias, summas calamitates, durissima quæq;, acerbissima quæq;, miserrima quæque, postrema quæque: quia, quos maximè debuit, eos minimè veritus est, contempsit, nihili fecit, aspernatus est: nullo loco habuit, minimi duxit: habuit in postremis, quos minimè debuit, quos minimè æquum erat: nullam rationem habuit, duxit eorum voluntatis, aut commodi, à quibus pendere, quorum voluntatem remque spectare, quibus consulere, quorum rationibus consultum velle debuit: quorum voluntati parere, obsequi, morem gerere officio cogebatur.

Moderans studia, valebis rectius.

By vsing your studies moderatly, you shall haue your health better.

Si modum studijs impones, facies, statues, si tibi moderabis in studijs, si studia moderabere, si tibi parces in studijs, valetudine melior fies: valetudinem confirmabis, conualesces quotidiè magis, firmior, ac validior fies: bonæ valetudinis, firmitatis, virium, roboris quotidiè plus assequeris, ad perfectam valetudinem quotidiè propiùs accedes.

Molestia.

Trouble.

Aliquid me mordet, pungit, afficit: est quiddam,

quod molestius feram, submolestè feram, in quo nõnihil offendar.

Molestia liberatus.

Free from all trouble and griefe.

Quòd Deo sit gratia, vacuus molestijs nunc quidem sum, sine molestia, cura, solicitudine, procul absum à molestijs, extra molestiam sum, tranquillè satis ago: Dei benignitate factum est, contigit, vt nunc quidem omni molestia vacẽ, nullis angãr curis, nulla vexer solicitudine, nulla meum animum paulò molestior, grauior, acerbior exagitet, vexet, perturbet, commoueat, afficiat cogitatio: fruitur animus meus tranquillitate: benè est, tranquillè est, commodè est, quies est, pax est, tranquillitas est animo meo: animo sum ab omni molestia soluto, vacuo, libero, longè seiuncto: Dei me benignitas omni molestia exemit, liberauit, ab omni molestia vindicauit, dicauit, eripuit, disiunxit.

Molestia affici à benè meritis.

To be troubled and vexed of them vpon whom you haue bestowed most friendship.

Valdè sum commotus, cùm eos audiui negotium tibi facessere, molestiam exhibere, molestos esse, infensos esse, solicitudinem inferre, te vexari, iniurias accipere, affici molestia ab ijs, de quibus ipse benemeritus es maximè, qui summa tibi beneficia debent.

Moram adhibe.

Pause a while, or stay, and deferre the matter as long as ye can.

Rem sustine, suspende, quoad licet: moram interpone:

pone:rem ducas,producas,proroges,protrahas.

Moram auerte.

Flye lingering.

Caue, ne mihi ſpatium producatur, dies proferatur,prorogetur,protrahatur,extrahatur,protendatur, fiat longior:ne res longius ducatur,ne in aliud tempus reijciatur,protrudatur,reſeruetur. Vide,ne quid mihi ad hoc negotium temporis accedat:ne tempus addatur:ne qua fiat acceſſio temporis, ne quid mihi temporis in hoc negotio,in hoc munere, in hac adminiſtratione prorogetur,ne fiat longior,ne ducatur longius,ne ſit diuturnior hæc adminiſtratio.

Moram trahere.

To differ,ſtay,put or driue of.

Morari diutius,moram facere,moram interponere,procraſtinari, differre, diem ducere, referre me in aliud tempus, rem proferre, ducere, producere, protrudere,protrahere,extrahere,in aliud tempus reſeruare non poſſum.

Morbus ex itinere.

Sicknes taken in iourney.

Itineris laborem ita grauem ſenſit, expertus eſt, itineris labore ita eſt affectus,defatigatus,fractus,vt in grauem inciderit morbum, vt morbo ſit affectus difficillimo,vt ægrotauerit periculoſè,dubia vitæ ſpe: labor itineris ita grauiter eum affecit, afflixit, vt morbi cauſam attulerit,& eius morbi,qui vitam in diſcrimen adduceret,in quo de vita prorſus ageretur, vita veniret in dubium.

Morem tibi geram.

I will be ruled by you or follow your aduise and counsell.

Parebo tuis mandatis: exequar tua mandata, effectum dabo quod mandasti: tuæ voluntati parebo, morem geram, obsequar, obtemperabo: sequar voluntatem tuam: meam voluntatem ad tuam aggregabo, cum tua coniungam: tuæ voluntati mea voluntas seruiet: tua mihi voluntas lex erit, atque norma.

Mori.

To dye.

Optabile est, effecta ætate diem obire vltimum, summum obire diem, vitam cum morte commutare, è vita discedere, vita excedere, migrare è vita, huius lucis vsuram amittere, obire, occidere, interire, perire, mori, vitam finire, mortem oppetere, ad exitum vitæ vocari.

Morosus.

VVewarde, crabbed or froward.

Cum nemine prorsus tibi conuenit: tui mores ab omnium moribus abhorrent: aptus non es, ineptus es, minimè accommodatus ad mores, ad consuetudinem, ad naturam, ad ingenium cuiusquam: nescis vti cuiusquam consuetudine: alienus es ab omnium consuetudine, ac moribus: non facilè tuos mores ad cuiusquam mores conformas: morosus es, nimiumque difficilis in consuetudine & vsu: ita te morosum difficilemque præbes in consuetudine, ita mores aliorum fastidis, vt nemo te, tu nemine vti possis: vt neque tu

quem-

quenquam, neque te quiſquam ferre poſſit: vt neque tu conſuetudine cuiuſquam, neque tua quiſquam vti poſſit. Vide Difficilis in conſuetudine.

Mors immatura ex intemperantia.

Of intemperance vntimely death, or through diſorder in diet and ſurfetting, many dye before their time.

Multos adoleſcentes conficit, perdit, immatura morte afficit cruditas, crapula, immoderata, diſſoluta victus ratio: largiore, vberiore, pleniore cibo vtuntur adoleſcentes, quàm vt ſtomachus digerere, ferre, ſuſtinere poſſit, quàm vt vitæ conducat, id quod ſæpè illis immaturæ mortis cauſam attulit.

Mors ſine ſenſu eſt.

Death is without ſenſe, or dead men feele not.

Nullus in morte reſidet ſenſus. mors nullum habet ſenſum: mortui ſenſu carent, mortuis nullus ineſt ſenſus, extra ſenſum mors eſt, ſenſus à mortuis abeſt: morte ſenſus amittitur, ſentiendi vis morte extinguitur.

Multi non ſapientes, ſecundis rebus ſapientes habiti.

Many vnwiſe men reputed as wiſe in their proſperitie.

Multi, cùm ſapientes non eſſent, ſummæ tamen ſapientiæ nomen proſperis temporibus tulerunt, nacti ſunt, conſecuti, adepti: multi, cùm ſapientiam haberét nullam, ſummam tamen poſſidere ſecundis temporibus crediti ſunt: in proſpera fortuna, ſecunda, læta, fœ-

lici,optima,secundis rebus, rebus ad voluntatem fluentibus,cùm nihil esset aduersi, cùm rebus omnibus esset optimè, cùm omnia facillimo cursu procederēt, iucundissimis,lætissimis,optimis temporibus.

Multis imperare optabile.

It is a wished thing to haue rule ouer many.

Optabile est,imperium in multos habere, habere multos,quibus liceat imperare, qui pareāt imperatis, quorū opera iure tuo, pro tuo iure,pro potestate, tuo arbitratu possis vti : multis dominari, multis præesse, paratos ad voluntatem, ad imperium, ad nutum habere multos.

Munere afficere.

To giue a present.

Donare cuiquam,dona dare,largiri,munus offerre cuiquam,donis quenquam afficere,donare quēquam munere,dona in quenquam conferre,munera conferre,liberalis in quenquam esse,liberalitate vti,liberalitatem exercere non soles, in consuetudine nō habes.

Munere egregiè perfunctus.

He hath ended his office with great commendacion.

Magnificentissimo perfunctus est munere ædilitatis,præclarè se tractauit ædilitatis munere, ædilitatem summa cum laude gessit,nihil fecit non egregiè,iustitiæ laude præstitit, specimen dedit minimè dubium virtutum suarum : ædilem se præbuit egregium,præstitit,ostendit: summam ex ædilitate laudem est consequutus,sibi comparauit, sibi peperit, cepit, tulit, retulit.

tulit. Vide, Magiſtratui rectè præfuit.

Mutas ſententiam.

You chaunge your minde or opinion.

Non permanes in eadem ſententia, non perſiſtis, non perſeueras, non pergis: tuam ſententiam non retines, non tueris, non ſeruas: tibi non conſtas, diſcedis à ſententia, labas in ſententia, eadem non eſt, fixa non eſt, infirma eſt tua ſententia, mutas ſententiam, conſilium, opinionem: diſcedis à ſententia, conſilio, opinione, ſenſus tuus non idem eſt, alius nunc eſt, immutatus eſt. Bono viro ſenſum rectum deponere difficilè eſt. Non ita flexibilem eſſe tuam voluntatem putâram. Vide, Vir bonus conſtans eſt.

Mutata de pace ſententia.

His iudgement is chaunged concerning peace.

Anno proximo ſuperiore, pacis autor præter cæteros eras, nunc videris à priſtina cauſa deſciuiſſe: non quod anno proximo, nunc idem de pace ſentis: tua de pace ſententia cum ſuperioris anni ſententia conuenire non videtur: non eadem tua eſt, quæ anno proximo ſuperiore, de pace ſententia; pacem vnus omnium maximè tuebaris anno ſuperiore, nunc alia tua mens videtur, non idem ſenſus, diuerſa opinio.

Mutata ſententia.

Your minde is chaunged.

In ſententia non permanſiſti, ſenſum mutaſti, aliter exiſtimas, à priſtina ſententia deſciuiſti, à te diſſentis, diuerſam opinionem ſuſcepiſti, cepiſti. Vide, Mutas ſententiam.

Mutatio rationis.

Alteration of ſtate, an other condition or the caſe is chaunged.

Diuerſa nunc mea ratio eſt, non eadem eſt: immutata eſt ratio rerum mearum: alius eſt rerum mearum ſtatus: aliter ſe meæ res habent, non eodem loco ſunt.

Mutuò nos amamus.

We loue eche other alike.

Mutuò amamus inter nos, pariter, æquè, ſimiliter, viciſſim, amore non diſſimili, mutuo, pari: par voluntas ab vtroque noſtrûm accipitur, ac redditur.

Natura.

Nature.

Mos hic omnium eſt, conſuetudo eſt, inſtitutum eſt, moris eſt, conſuetudinis, inſtituti, mos obtinuit, inualuit: ita fert omnium conſuetudo, mos communis, nemo non ita conſueuit, omnibus eſt à natura tributum, ita natura comparatum eſt, ita comparatũ eſt, habent hoc omnes à natura: ita facti, ita inſtituti natura omnes ſumus, vt vim vi repellamus, vt ab iniuria nos tueamur.

Natura auarus.

Borne to be a niggarde, or naturally couetouſe.

Multis argumentis inclinatum, ac natura propenſum te ad turpiſſimum & execrabile vitium auaritiæ, iudicaui: quod multis argumentis potuerim conijcere, colligere, intelligere, ſuſpicari, ad auaritiæ vitium natura propendes, tua te ad auaritiam natura ducit,

auaritiæ

auaritiæ ſtudioſus es hortãte natura,naturali quodam ſtudio ad auaritiam inclinas, ſequeris auaritiam quadam naturæ inductione.

Natura omnibus accommodatus.

A nature meete for all thinges, or framed of nature to all purpoſes.

Præcipuo quodam naturæ munere aptus erat, accommodatus, appoſitus erat ad omnia: factus ad omnia videbatur: ingenium acceperat à natura ad omnes res appoſitum,atque accõmodatum: eo erat, eo vtebatur ingenio,quiduis vt exequi,& præſtare ſatis commodè poſſet:natus ad omnia videbatur:dederat hoc ei natura, quicquid aggrederetur, vt egregiè cõficeret,vt excelleret:habebat hoc à natura,vt quãcunque ad rem ſe conferret, quamcũque rem capeſſeret,ea non peſſimè perfungeretur,ex ea cum laude diſcederet. Vide, Ad omnia aptus.

Neceſſitati parendum.

Neceſſitie or neede hath no lawe.

Sapientis eſt,ſapientiæ eſt, conſilii eſt, rationis eſt, ſapientem decet, tempori cedere, neceſſitati parere, rationem temporis habere, conſulere temporibus, cõformare ſe ad temporis rationem,conſilia & actiones tempore moderari,pro temporum ſtatu & ſuſcipere, & deponere, ita ſe gerere,vt præcipere tempus videatur,vt temporis ratio ferat ac poſtulet:quaſi ducem ſequi in agendis rebus,quaſi conſiliarium habere tempus,conſiliario vti tempore nos decet.

Nec vſui,nec incommodo eſſe.

Neither to further nor to hinder.

Si tibi vtilis esse non possum, incommodare tibi nolo, incommodo tibi esse, incōmodo te afficere, incommodum tibi afferre, parere, præbere.

Negotiari.

To be occupied, or to trafficke.

Mediolani negotiatur, habet negotia, gerit negotia, mercaturam exercet, res agit, negotia tractat.

Nemini fidendum.

No man is to be trusted.

Nemini, vel summa necessitudine coniuncto, habenda fides est: nusquam tuta fides, cauendum est, ne cuiusquam fidei nos credamus, cōmittamus, res nostras commendemus: cautionis est, sapientiæ est, consilij est, nemini se credere, committere, nemini planè confidere, nullius in fide omnia statuere, ponere, collocare: quis est, quem tibi fidum præstare possis, cuius incerta, dubia, infirma, fluxa, fides non sit?

Nemini maledicendum.

No man is to be spoken ill of, or reuiled and railled at.

Conuicium cuiquam facere non debemus: malè cuiquam dicere nō decet, dicere conuicium cuiquā, iacere conuicium, conferre conuicium in quenquam, conuicijs quenquam afficere, vexare, exagitare, iactare, turpe est, laudis non est, laudi non est.

Nemo ab omnibus incommodis liber.

No man free from all infortunes.

Quis est, qui nihil in vita mali videat, nihil sustineat incom-

incommodi,nullam ferat calamitatem? cuius est perpetua fœlicitas,nullis interrupta malis?nemo fortuna vtitur perpetuò bona:nemini res ad voluntatem semper fluunt: nemo est, cui prosperè omnia succedant, nihil contra voluntatem eueniat, nullum accidat infortunium,secunda sint omnia,optata omnia contingant. Nemini sua conditio satisfacit:nemo est,qui acquiescat fortunæ suæ.

Nemo sine crimine.

No man without some faulte.

Omnes in omnem culpam prolabuntur:incurrunt homines in omnem iniquitatem:nulla culpa est, quæ non hodie subeatur: omnes in omni scelerum flagitiorumq; genere volutantur: omnem improbitatem omnes amant:nullum hodie flagitium ignoratur,prætermittitur.

Nemo tantum habet quantos sumptus facere possit.

No man hath so much,as he hath wayes to spend it, or no mans wealth is so great, but his expense may be greater.

Quis ita firmus ab opibus est,quis ita fortunæ bonis affluit atq; abundat, cuius tantæ diuitiæ sunt, quis tantum possidet diuitiarum, quis opibus adeò pollet, cui res familiaris ita copiosa est, cui tantum fortuna largita est,de suis bonis impertiuit, communicauit, vt sustinere sumptum possit, vt respondere sumptui possit,vt sumptum ferre satis possit, vt quãtum res postulat,tantum facere sumptum,tantum erogare possit?

Ne quid dicam triſtius.

To tell no worſe newes, or that I may tell no heauie tidinges.

Nolo triſtius quicquam dicere, nolo malis ominibus hanc rem proſequi, nolo malè ominari.

Ne ſis autor.

Be not the author.

Noli me hortari, cohortari, adhortari, vt hoc faciam: ne mihi ſis autor huius conſilij, ne me rationibus ad hoc impellas, ne cohortatione vtaris, ne cohortationem ſuſcipias.

Nihil ſine numine fœlix.

Nothing happie without the grace of God.

Qui ſuas ad cogitationes Deum non adhibet, ſuis in cogitationibus non confugit ad Deum, ſua conſilia ad Deum non refert, cuius animus cum Deo nunquam loquitur, ſæpe illum fallit humana prudentia, ſæpe is ab humana prudentia in fraudem, in errores inducitur, ſæpè labitur, aut offendit, aut errat, ab humana prudētia ductus, ducem ſecutus humanam prudentiam, humanæ prudentiæ ductu, falſa quadam rerum humanarum ſpecie deceptus.

Nihili laus ab illaudatis profecta.

To be praiſed of vnhoneſt men, is nothing worth.

Ea de laude minimùm laboro, eam laudem minimè puto, reputo, facio, duco, æſtimo, pendo, flocci facio, contemno, reſpuo, aſpernor, nullam puto, in minimis

nimis pono, in postremis habeo, ab ea laude non pédeo, ea me laus minimum mouet, parum afficit, non tangit, non capit, non ducit: eam laudem non specto, non amo, non curo, non expetendam duco, inter optabilia refero, (& hęc omnia passiuis licet ijsdem verbis conuertere) quę proficiscitur ab ijs, qui ipsi in laude viuunt, qui laudem ipsi nullam consecuti sunt, qui ab omni laude procul absunt, quibus ipsis laus nulla tribuitur.

Nimis arrogans.

To proude, or to arrogant.

Nimium tibi tribuis, arrogas, assumis. Vide infrà, Nimiùm es superbus.

Nimis studiosus.

Too to studious, or to much giuen to studie.

Nunquam te explent studia, tua nunquam expletur, aut satiatur studiorum sitis, nimius in studijs, nimiùm te studijs dedidisti: prӕter modum, supra modum, extra modum, parum modicè, immoderatè minus moderatè, sine modo, nimis intemperanter studia colis, tractas, exerces: nimia studiorum cupiditate flagras: te studiorum amor, & consuetudo nimiùm tenet.

Nimiùm es superbus.

Thou art to proude.

Nimiùm tibi places: plus tibi assumis, quàm deceat, quàm liceat, conueniat, ӕquum sit, oporteat, ratio ferat, patiatur, concedat: nimiùm te effers: arrogas tibi plus quàm licet: altius quàm oporteat, ipse te extollis:

ita ſuperbè agis,vt ferri non poſſis, ſuperbia es prorſus non ferenda,parem tibi eſſe neminem vis,te cunctis ante fers, omnes deſpicis, te verò vnum ſuſpicis, amas ipſe te ſine riuali,tibi ipſe magnus es atque eximius,omnia putas eſſe in te vno collocata,fortunam ipſam minus eſſe teipſo fortunatam putas:perſuaſum habes,tuis te fortunis ipſam fortunam anteire.

Nimius labor in ſtudijs.

Exceſſiue labour in ſtudy.

Nimis elaboras,inuigilas, ſudas, exerces te nimis, immoderatè,ſupra modum, intemperãter in ſtudijs: nimiùm laborioſè ſtudia tractas, colis, exerces: ſuſtines laboris plus,quàm ſatis eſt in ſtudijs exercẽdis: ſic elaboras in ſtudijs, vt vires tuas imminuas,conſumas,exhaurias,debilites,infirmes,affligas.

Nobili neceſſariò virtuti ſtudendum.

It is neceſſary for noble men to ſtudie vertue.

Quicunque honeſto,claro, non obſcuro, ſummo loco, claris parẽtibus natus eſt,ex nobili familia,clara ſtirpe,ei maior,quàm cæteris,colendi præclara ſtudia, exercendarumq; laudandarum artium neceſſitas imponitur: habet hoc nobilitas,& familiæ ſplendor, vt vitæ laudabiliter & cum virtute traducendæ, non modò occaſionem,verùm etiam cauſam,neque cauſam tantùm, ſed etiam neceſſitatem afferat:quem familiæ nobilitas cõmendat, oportet eum ad liberaliũ doctrinarũ ſtudia, ad ſtudiũ ſummæ laudis,ad omnẽ laudem,ad decus eò ſtudioſius incumbere, ad excellentem omnium rerum cupiditatem eò vehementius excitari:ſi quis ex egregia,nobili,præclara,illuſtri domo

mo natus eſt,maiore,quàm quiuis alius, vrgetur virtutis expetendæ neceſſitate.

Noctem ſtudijs aſſumere.

To watch all the night at ſtudie.

Vigilare de nocte,noctu,per noctem: noctem ſtudiorum cauſa cepi: nocturnas vigilias diurnum ad ſtudium cœpi adiungere, diurno cum ſtudio coniungere:ad ſtudia iam etiam aliquantum noctis aſſumo.

Nolo Rempublicam in diſcrimen adducere.

I will not hazard the common wealth.

Nolo ſummam Rempublicam, ſalutem Reipublicæ, publicam rem in diſcrimen, in dubiam fortunam adducere,deducere:nõ committam, vt incertam fortunam Reſpub. ſubeat,vt periclitetur Reipublicæ ſalus,vt in dubium vocetur, in periculum,in diſcrimen veniat.

Nomen ex ſcriptis.

Immortall name by wrightings, or famous for euer.

Si tua ſcripta ad exitum perduces, perficies,conficies,abſolues,ſi tuis ſcriptis finem impones, extremã manum impones, perpetua erit, æterna, immortalis tua fama: nunquam deficiet,conſeneſcet,peribit,obſcurabitur,extinguetur,delebitur:nulla dies tuam famam terminabit, nullum temporis ſpatium circumſcribet, nulla vetuſtas corrumpet: vigebit in omnes annos tua fama: omnis te poſteritas cognoſcet, tuas laudes excipiet ac tuebitur:nomen tuum immortali-

tati commendabis, immortalitate donabis, immortalitatis præmium consequêris, non simul cum corpore mors tuum nomen extinguet, delebit, auferet: tuum nomen ab interitu vindicabis, in hominum memoria tenebis, æterna laude illustrabis, decorabis, afficies, ornabis: de te posteritas omnis audiet, ac loquetur.

Non contendendum cum fortioribus.

Striue not with thy stronger.

Contendere, certare, pugnare, altercari cum valentioribus non debemus: aduersus valentiores, firmiores, robustiores, paratiores à viribus suscipienda contentio non est.

Non cunctandum.

It must not be lingered, or delayed and differred.

Si exploratum tibi est, posse te illius regni potiri, illo regno potiri, regnum illud obtinere, non est cunctandum, producēda res non est, protrahenda, differenda non est, mora facienda nulla est, interponenda non est: omnis tollenda mora, languor omnis abijciendus. Vide, Festinanter agendum.

Non dubito, quin summus futurus sis.

I doubt nothing to see you in highest estimation.

Non dubito, quin summum atque altissimum gradum ciuitatis obtineas: nulla me dubitatio tenet, nihil mihi dubitationis relinquitur: non est cur dubitem, quin ea assequaris, quæ in Republ. putantur esse amplissima: quin futurus in ciuitate sis honestissimus, amplissi-

amplissimus, eximius honestissimo loco, summo loco, singulari loco.

Nondum assuefactus es laboribus.

You are not yet accustomed to paines.

Nondum laboribus assueuisti: nondum es à laboribus assuefactus, laboribus assuefactus, assuetus: labores ferre ac sustinere nondum consueuisti: labores nondum satis expertus es, sensisti, tulisti: nondum es in laboribus plenè versatus, exercitatus: rudis es, insolens in laboribus: nondum tibi familiaris labor est.

Nondum planè res absoluta.

Not yet fully ended.

Sublata res tota non est, sed magna tamen ex parte profligata: parum abest, quin ad exitum res peruenerit: eò res processit, vt ab exitu non longè abfuerit: vt ad exitum penè peruenerit, exitum penè attigerit.

Non est causa mutandæ sententiæ.

You haue no cause to change your minde.

Quid est, quod aliam in partem traducere me debeat? cur hanc opinionem abijciam? cur hunc deponam sensum? cur ab hac sententia desciscam, discedam? cur aliter sentiam? cur à me ipso dissentiam?

Non esse soluendo.

He hath not wherewithall, or he is not able to paie.

Soluendo non sum: non est, vt possim soluere: non habeo vnde soluam: non suppetit, vnde creditoribus satisfaciam.

Non multum edo.

I eate not much, or but litle.

Non multi cibi ſum:minimè ſum edax : tenui cibo vtor.

Non niſi ſoſpes proficiſcaris.

Trauaile not except ye be ſtronge, or be ſure you haue your health before ye iourney.

Ne te viæ,niſi confirmato corpore committas:niſi rectè valeas,ne te in viam des:peregrinandi cōſilium, niſi valetudine firma vtaris,omitte. Vide Iter omittēdum infirma valetudine.

Non punitus.

Not puniſhed.

Pœnam effugit: elapſus eſt:impunè illi fuit : impunitatem eſt aſſecutus : pœnam nullam tulit,ſuſtinuit, perpeſſus eſt:euaſit ex iudicio : abſolutus eſt : abſolutionem eſt adeptus.

Non ſatis religioſus.

Not verie deuout.

Non ſatis diligenter , parùm piè , minus religioſè, quàm conueniat, ſacris operam das, in templo verſaris, Deum colis:ſatis piè non agis in templo:pietas in te deſideratur,requiritur:non eam pietatem, nō eam religionem,quæ Deo debetur,præſtas in templo.

Non ſum inconſtans , quòd hominem ingratum negligo.

I am

I am not inconſtant by ſetting light by an vnthankefull perſon.

Non puto mihi famam inconſtantiæ pertimeſcẽdam, ſi tam ingratum hominem, tam immemorem officij, proſequi nouis officijs nolui: non vereor, ne quis mihi tribuat, adſcribat, aſſignet inconſtantiæ, leuitati: ne quis in me inconſtantis animi, leuis, mobilis, inſtabilis, parum firmi vitium conferat: ne quis mihi notam inurat inconſtantiæ: ne inconſtantiæ nomine malè audiam, ſuſpectus ſim: ne accuſer, quaſi parum in officio conſtans, quaſi diſceſſerim à priſtina conſuetudine, quaſi diſciuerim à me ipſo.

Non tibi adulor.

I flatter you not.

Noli putare, me hoc auribus tuis dare: gratiam tuã aucupari: hoc me loqui ad voluntatem: me velle tuis auribus inſeruire, nec eſſe blandum, aſſentatione vti, aſſentationis artificio tuam gratiam quærere: ne me putes fictè loqui ad colligendam beneuolẽtiam tuam: vt gratiam à te ineam, te mihi vt adiungam, tuam in amicitiam vt me penitùs inſinuem.

Non tua, ſed mea intereſt.

It is not your parte, but mine, or it is no matter to you, but it concerneth, or toucheth me very much.

Hoc tua nullam in partem intereſt, mea multum: tua minimum refert, mea plurimum: ad te nihil, ad me valdè pertinet: tua res in hoc nulla, mea verò agitur maxima: hoc ad tuas res momenti nihil habet, vim nullam habet, minimũ valet: ad meas valet in omnes

partes, multū intereſt, refert, multum habet ponderis.

Nouitatis cupidus.

Deſirous of newes.

Res nouas quæris, cupidus es rerum nouarum, ſtatus hic te minimè delectat, nouitatem amas: nouitati ſtudes, faues.

Noui tuarum rerum ſtatum.

I know your ſtate well.

Noui, cogitum habeo, probè teneo ſtatum rerum tuarum: qui ſit rerum tuarum ſtatus, optimè ſcio, præclarè noui, egregiè intelligo, de tuis rebus planè mihi conſtat, exploratum eſt, exploratum habeo, compertum habeo, mihi dubium non eſt, obſcurum non eſt, non me fugit, latet, præterit ſtatus rerum tuarum.

Nulla merita.

No deſertes.

Non valdè de me meritus es, non magna in me beneficia contuliſti: grauia non ſunt, exigui momenti, parui ponderis ea, quæ mea cauſa feciſti: beneficium vel à te nullum accepi, vel accepi minimum: exigua ſunt, quæ apud me beneficia collocaſti, poſuiſti: non magnis à te ſum affectus beneficijs: beneficia tibi debeo non ita magna: obligaſti me, obſtrinxiſti, deuinxiſti mediocribus officijs.

Nullius pretij homo.

One of no accompte, or whom no man careth for, or ſetteth a point by.

Valdè miror, quòd hominis deterrimi, ac ſordidiſſimi

ſimi cõſuetudine vtaris:mirari ſatis non poſſum,quod eius te hominis vſus & conſuetudo delectet,cuius infima conditio ſit, qui ſit infimæ cõditionis, humillimi loci,obſcuri loci, nullius loci, nullius ordinis, nullius pretij, deſpectus, abiectus, contemptus, terræ filius, inops ab omni prorſus exiſtimatione,neque à ſeipſo, neque à maioribus cõmendatus:nulla maiorum laude,nulla ſua virtute commendatus, honeſtatus,nobilitatus,inſignis.

Nullo in honore eſſe.

To be of no credite or eſtimation.

Prorſus iaces:nulla tua exiſtimatio eſt:nullum apud homines locum obtines:nullo loco es:nullus es:nullo in honore es:nullius te pretij homines ducunt.

Nunquam tibi deero.

I will neuer fayle you, or leaue you.

A me omnia in te ſtudia,atque officia,quæ quidem ego præſtare potero,velim expectes: mea omnia ſtudia,atque officia polliceor:præſtò tibi ſemper fore me velim exiſtimes, planeque tibi perſuadeas,ſi quid valebo,valebo tibi. hoc editũ ex oraculo puta, hoc tibi confirmo,ac re præſtabo,nullum me ſtudij genus,aut officij,quod ad rem tuam pertineat,quòd è re tua ſit, quod in rem tuam ſit, quod ad rem tuam pertineat, quod ad rem,laudem, dignitatem tuam valere videatur,vllo eſſe loco prætermiſſurum.

Nunquam tua merita compenſabo.

I ſhall neuer requite your deſertes.

Nullam vnquam tuorum meritorum partem aſſe-

quar: nunquam ne minima quidem ex parte tuis in me meritis satisfaciam: nunquam omnino tibi soluã quantum debeo, ac ne vlla quidem ex parte: officia tua nunquã rependam, remunerabor, remetiar, compensabo, officijs paribus æquabo. Vide, Merita tua.

Nuntius sinister.

Euill newes.

Rumores de illo duriores erant, aduersa quædam de illo erant allata, nuntij venerant tristes, aduersi, infausti, parum commodi, minimè læti, parum secundi: grauior de illo fama peruenerat, dissipata erat, peruulgata: duriora quædam, grauiora erant significata, iactabantur, sermonibus dissipabantur.

Ob auaritiam vituperatus.

He is dispraysed for his couetousnes.

Auaritiæ nomine malè audis, auaritiæ flagras infamia, laboras infamia: auaritiæ tibi crimen obijcitur, exprobratur: in te cõfertur auaritiæ culpa: tibi auaritiæ nota inuritur: suspectus in primis es auaritiæ nomine: accusaris: reprehenderis, exagitaris, vt, in auaritiam pronior, ad auaritiam procliuior, vt homo diuitiarum nimis appetens, immoderatè sitiens, supra modum cupidus, cupidior quàm satis est, nimius in diuitiarum cupiditate.

Obest valetudini.

It is hurtfull to me, or it maketh me sicke.

Igne vti sine valetudinis damno mihi non licet: si ad ignem accedo, obest valetudini, valetudinis cum detri-

detrimento ſit, læditur valetudo, damnum facit, infirmatur, incommodo afficitur.

Ob liberalitatem laus.

Prayſe for his liberalitie.

Tuum nomen liberalitate extolles, efferes, tuam laudem excelſo, ſublimique in loco, atque in illuſtri quadam ſpecula liberalitas conſtituet, collocabit : ad ſummam laudem, ad ſumma, ducem ſecutus liberalitatem, duce liberalitate, peruenies.

Obliuiſcendum malorum.

All euill happes or infortunes muſt be forgotten.

Lætior tibi vita eſſet, iucundior, tranquillior, tranquillius ageres, ſi tuos caſus obliuiſcereris : ex animo tuo, mente, memoria deleres: ſi memoriam tuorum temporum omitteres, deponeres, abijceres, ex animo deleres : ſi tua priſtina mala, tuos caſus, tuorum temporum varietatem obliuione voluntaria contereres, apud te deleret obliuio.

Ob oculos.

Before a mans eyes.

Tota mihi illa regio, in cubiculo meo ſedenti erat in conſpectu, ante oculos erat, ſub oculis erat, ob oculos erat, ad oculos occurrebat, in oculis erat, ſeſe oſtendebat, patebat, aperiebatur, exponebatur.

Obſecrauit me vt fidem ſeruarem.

He humbly deſired me to keepe promiſe.

Meam fidem implorauit, suppliciter mecum egit, rogauit me quàm suppliciter potuit, vt fidem præstarem, tuerer, seruarem, soluerem, vt starem promissis, vt in fide permanerem, vt promissa persoluerem.

Obuiam ire amicitiæ gratia.

To goe to meete him for olde acquaintance.

Obuiam ibo, obuiam procedam, occurram, vt officium amicitiæ debitum persoluam, vt id præstem, quod amicitia postulat.

Occupato non molestus.

Not to be troublesom to him that is occupied with weightier affayres.

Nolo tuas occupationes impellere, tibi tam occupato molestus esse, molestiam exhibere, obstrepere: nolo tuorum negotiorum cursum impedire, tuis rebus impedimento esse, auocare te à tuis negotijs, curis, occupationibus.

Officiosissimus.

Most officious or readiest at all assayes.

Erat in omni genere officij maximè omnium diligentissimus, omnis officij diligentissimus: vincebat, superabat, anteibat, antecedebat omnes, excellebat omnes, antecellebat omnibus diligentia, par illi, æqualis, similis, cum illo comparandus, æquandus, conferendus, componendus in diligentia nemo fuit. Fide semper fuit & officio singulari. Si complecti hominem volueris, neminem habebis, cùm res tuæ postulabunt, neque præstantioris animi, neque maioris in te beneuolentiæ.

Omi-

Ominoſum.

An ill token, or ſignifying ſome euill happe to come.

Malè veteres ominabantur, augurabantur, infauſtum omen, mali euentus omen, aduerſum, calamitatem portendens, incommodum ſignificans, iudicabant, ſi quercus fulmine percuterentur, ferirentur, fulminis ictum ſentirent, de cœlo tangerentur.

Omnes morti obnoxij.

All men ſubiect to death.

Paterni obitus dolorem hæc ratio depellat, quòd omnibus impendet mors: hac omnia lege creata ſunt, vt morte deleantur, extinguantur, tollantur.

Omnes omnibus calamitates incumbunt.

All ſortes of men ſhall feele the ſmarte of ill or trouble.

Ea temporum impendet conditio, vt optimè actum cum eo putem, qui antè è vita diſceſſerit: omnibus omnia impendent mala, manet omnes, impendet omnibus, vrget omnes, aduentat, appropinquat, iam adeſt eadem calamitas: nemini rectè erit, nemo erit, cui peſſimè non ſit, qui peſſimè ſe non habeat, qui non aduerſa fortuna vtatur, qui non aduerſis fortunæ fluctibus iactetur: communis erit, eadem omnium, par, ſimillima fortuna: ſuum quiſque miſeriarum pondus ſuſtinebit: vexabit omnes eadem calamitas: miſerrimè cum omnibus, atque infœliciter agetur. expers malo-

rum nemo erit, miserijs nemo vacabit: malorum incendio flagrabit vnusquisque. Nulla est acerbitas, quæ non omnibus impendeat, immineat, quæ non omnes maneat: aduersa omnes omnia sustinebunt: pari omnes calamitate prementur: communis erit omnium, non propria cuiusquam malorum tempestas, vis malorum, iniquitas fortunæ. Vide, Nemo ab omnibus incommodis liber.

Omnia debeo tuis beneficijs.

Your benefits deserue all I can doe.

Omnia tibi studia, omnia prorsus officia debeo tuis beneficijs: præstare cogor tua causa quicquid possum, quantum valeo, quantum consequi viribus possum, quantum est in me situm: tua in me beneficia, meum omne studium, meum officium, omnes à me curas, omnem industriam, omnia denique, quæ in me sunt, non solùm postulant, verùm etiam exigunt: quid est, quod ego tua causa non debeam? obsequi tuæ voluntati, morem gerere, parere, inseruire prorsus in omni re debeo.

Omnia nihili facio.

I set not a rushe by all the world, or care not a strawe for it.

Trahantur per me pedibus omnia, non laboro: nihil me afficit, nihil me tangit, nulla re moueor, de quauis re susq; deq; fero: æquè omnia contemno, fastidio, respuo: nulla res apud me pondus habet: nullius momenti est, in pretio est, ne minimi quidem est.

Opera frustrata.

My trauaile or labour is in vaine.

Nunc me ſentio fruſtra elaboraſſe, inanem laborem ſuſcepiſſe, ſpes meas infirmis & labantibus fundamentis eſſe nixas: me ducem habuiſſe, ducem ſecutum eſſe incertam cæcamque ſpem, arido ſolo, infructuoſo campo, arenæ, ſemina commiſiſſe, mandaſſe, imprudentiam conſilij mei exitus rei mihi declarat: ſpe ſum deceptus, ductus ſum inani ſtudio, laterem laui, operam malè poſui, oleum & operam perdidi, ſtudium inutiliter conſumpſi, locaui.

Opinio inueterata.

A ſetled opinion.

Erat hæc in animis hominum inueterata opinio, peruetus, diuturna, multi temporis.

Opinor.

I ſuppoſe, or I thinke.

Opinor, arbitror, puto, autumo, exiſtimo, iudico, cenſeo, duco, ita mihi perſuaſi, in animum induxi, pro certo habeo, exploratum habeo, minimè dubito, planè credo, prorſus, omninò, penitus, certò, pro certo, minimè dubitanter, exitum fore, qualem ſum auguratus, qui augurio meo reſpondeat, quem prædixi. Vide, Meditari.

Oportunitas amiſſa.

Oportunitie let ſlippe.

Amiſſum tempus eſt, elapſa de manibus eſt, abijt præterijt, fugit, euanuit, amiſſa eſt, nulla iam eſt, prorſus perijt occaſio, tempus, oportunitas.

Opulentum patrimonium diſperdis.

To waste a riche patrimonie, or his fathers lands and goods.

Pater tuus opes, diuitias, rem, ea quæ tu possides, quæ tibi reliquit, bonis artibus, honestis rationibus, laudabiliter, honestè bona quæsiuit, collegit, at tu malis artibus, improbis rationibus, inhonestè, turpiter, per nequitiam, per luxum, ac libidinem patrimonium exhauris; dissipas, consumis, perdis, malè perdis, disperdis. Vide, Patrimonium dissipare.

Opus inchoatum.

A worke begonne.

Opus non modò non perfectum, confectum, absolutum, ad vnguem factum, sed inchoatum, ac rude reliquisti: tantum abes à perfectione operis, vt principia vix appareant: tantum abest vt opus ad finem perduxeris, vt minimum vltra principia processeris, vt in ipsis penè principijs constiteris, hæseris: vix opus instituisti, vix aggressus es, operis initium fecisti; à fine autem longè distas; rem tu quidem habes institutam, sed perpolitio requiritur; instituta res est, non perpolita: operis tu quidem fundamenta iecisti, fastigium adhuc tamen nullum videmus, nullum extat.

Orestes matrem occidit.

Orestes slewe his mother.

Orestes parentem Clytemnæstram sua manu defodit, confodit, perfodit, vita exuit, priuauit, morte affecit, puniuit, multauit, vltus est, vindicauit, interfecit, interemit, occîdit, cecîdit, peremit, trucidauit, obtruncauit, parenti vitam eripuit, mortem obtulit, attulit, intulit, vim intulit, attulit, manus attulit, intulit.

Ornatus animi & fortunæ bonis.

Beautified with the gifts of minde and of fortune.

Honestus,grauis,plenus officij,bonus planè vir, & cùm virtutibus, tùm etiam fortuna satis ampla ornatus: animi bonis abundat, nec fortunæ tamen bona desiderat,animi bona multa,fortunæ pauca possidet.

Ostendam me rectè fecisse.

I will iustifie that which I haue done, or proue that I haue done well.

Omninò constitui,decreui,deliberaui meum factũ purgare,probare,rationibus tueri: id mihi propositũ, planeq; certum est,vt rationem reddam consilij mei: agere,probare,tueri,defendere, sustinere meam caussam prorsus volo, argumentis minimè dubijs ostendere,rationibus persuadere,non me casu,non temerè, non inani quadam voluntate, repentino mentis impetu,nulla satis firma, certáue causa commotum, adductum,impulsum: quod feci ostendam iure factum, consilio factum, optimis de causis, ratione suadente, ratione duce,certo iudicio,rectè & consideratè,ita factum, vt reprehendi nõ possim,vt mihi temeritatem, imprudentiam, inopiam consilij nemo possit obijcere,nemo possit in controuersiam, in dubium vocare, meritò damnare,vituperare,accusare,exagitare.

Parcus ob egestatem.

Sparing,or not liberall because of pouertie.

Parcus es in conferendis muneribus, quia copiæ tibi non suppetunt: angusta est tua liberalitas pro te-

nuitate copiarum: ideò benignus & liberalis valdè nõ es, quia non valde abundas, non valde copiosus es: quî potest esse prolixa, atq; ampla tua liberalitas, cùm angusta sit res tua familiaris? largiris tenuiter, infra modum potiùs, quàm supra modũ, quia nõ satis à copijs paratus es, ideò largè nõ das, quia quod des, nõ habes.

Parentes liberos ad virtutis studia cohortentur.

Let parents exhort their children to the studie of vertue.

Decet parentes illos, qui liberis consultum volũt, non eos ad rem cohortari, quàm facilè, nullo negotio arbitratu suo tum largitur, tum eripit fortuna, verùm ad eas artes, quarum vitæ par vsus & possessio est: autores filijs parentes esse debent, vt ad eas artes, ad earum artium studia sese conferant, applicent, animum adiungant, toto animo incumbant, quarum possessio vitam æquat, impellere filios parentes debent, incitare, consilio, rationibus, argumentis adducere ad eas artes, laudare illis eas artes, ostendere illis earum artium fructum, hortatores esse ad eas artes, id consilij dare filijs parentes debent, ita consulere, eam suscipere cohortationem, ea cohortatione vti: ea demum est apud filios egregia parentum cohortatio, qua impelluntur ad eas disciplinas, quarum est æterna possessio, quarum nobis fructum vna mors adimit, quarum vsus interitu vitæ, nulla re præterea terminatur. Filium tuum imitatione tui velim erudias.

Parenti vim afferre facinus atrocissimum.

A most wicked offence to offer wronge, or violence to thy father.

Nullum crimen, piaculum, ſcelus grauius eſt, aut deteſtabilius, quàm patri manus afferre, vim inferre: maximo ſe aſtringit ſcelere, graue piaculum admittit, impiè facit, qui parentem violat, lædit, qui violat eam pietatem, quæ parenti debetur: nullum ſcelus abeſt ab eo ſcelere, in vno illo ſcelere omnia inſunt ſcelera, cùm parenti vis infertur.

Parentibus ſenibus liberi ſolatio ſunt.

Children a comfort to their aged parents.

Parentum ætas ingraueſcens filiorum in adoleſcentia conquieſcit, parentum imbecillitas filiorum nititur adoleſcentia, parentum ſenectutem fulcit ac ſuſtentat filiorum adoleſcentia, ſubſidio eſt labantibus parentum viribus adoleſcentia liberorum, ſenio parentum ſubueniunt adoleſcentes filij.

Paries labefactatus.

A weakened wall.

Hic paries vitium facit, rimam ducit, rimam agit, labefacit, labefactatur.

Parua extollere.

To extoll or magnifie things of no praiſe or value.

Magni oratoris eſt humilia tollere, efferre: ea quæ iacere videntur, excitare atque erigere, obſcuris dare lucem, ſplendorem afferre, obſcura illuſtrare.

Paruus animus.

An humble minde, a base courage or stomacke.

Ex humili animo, abiecto, pusillo, exili, ieiuno, angusto, gloriæ cupiditas non emergit, exoritur, existit, effluit: angustos animos ampla & præclara cogitatio non ingreditur.

Pater colendus.

Thy father is to be reuerenced.

Debes patrem tuum colere ante omnes homines: est cur patri tuo præcipuum quendam honorem pręstes: tui muneris, tui officij, tuarum partium est, tuum munus, tuum officium, tuæ partes sunt, hoc in te conuenit, ad te pertinet, à te postulatur, hoc tibi omnis ratio suadet, proponit, vt patrem tuum præcipuo quodam honore colas, obserues, tuearis, afficias.

Patriæ res nescire dedecus.

To be ignorant in the manners of thy natiue country is a foule shame.

Turpe in primis est, dedecus est, in patria peregrinari, hospitem esse in ijs rebus, quæ ad patriam pertinent: ea non tenere, scientia non comprehendere, vsu doctrinaq; percipere, in quibus patriæ res agitur.

Patriam ab interitu liberaui.

I haue deliuered my owne country from vtter ruyne.

Patriam seruaui, patriam ab exitio vindicaui, patriæ incendium extinxi, salutem attuli, peperi, dedi patriæ, opera mea patria stat: cadentem patriam sustinui, labentem confirmaui, labentem excepi: ego salus patriæ

patriæ fui, à me salutem accepit patria: patriam ab exitio, à pernicie, ab interitu, à peste eripui, liberaui, tutatus sum: patriæ mala sanaui: patriæ salutem attuli, incolumitatem peperi, pestem abstuli: grauiter laboranti patriæ opem tuli.

Patrimonium dissipare.

To waste the patrimonie.

Rem consumis, perdis, disperdis, malè perdis, dissipas, in res inutiles, inanes, leues erogas: partam, quæsitam, comparatam, congestam summis laboribus maiorum tuorum, quam maiorum tuorum summa collegit industria. Vide, Opulentum patrimonium, &c.

Patris dissimilis.

Unlike his father.

Patris tui dissimilis es, patrem non refers, non imitaris, parentis tui consuetudo in te desideratur: parenti tuo dissimilem te præbes, tua ratio à patris tui ratione longè distat, à patris tui consuetudine longè discedis: non agnoscitur in te pater tuus.

Paucis agendum.

Dispatche in fewe words.

Pluribus tecum agere non debeo: longiorem orationem tua non exspectat humanitas, non patitur, nō fert, non sustinet, reijcit, recusat, renuit, respuit: amicitia nostra minimè patitur, vt te pluribus rogem.

Paupertas honoribus excludit.

Pouertie keepeth a man from preferment.

Sæpe facit inopia, vt honores consequi non liceat: prohibet, arcet, summouet ab honoribus rei familia-

ris inopia: impedimento egestas est, quò minus ad ea quæ sunt in ciuitate amplissima, liceat peruenire: aditum ad honores intercludit rei domesticæ facultas: euntibus ad honores magnas difficultates obijcit, magna impedimenta opponit, viam obstruit, obuiam it, occurrit inopia: imparatis à re domestica honores obtinere non facile est, multi negotij, magni operis est: honorum cursum impedit, interrumpit egestas, egentibus non facilis est, non expeditus honorum cursus, non patent honores inopiæ. Vide, Egestas honoribus impedimento.

Pecuniæ diues.

Riche in money.

Bene nummatus est, bene peculiatus, bene paratus à pecunia, instructus à pecunia, abundat nummis, copiosus est à pecunia, minimè pecuniam desiderat; multum habet in arca, refertus est pecunijs, pecuniæ illi multum est, pecuniæ multum possidet, magnam auri vim argentique possidet, in numerato habet.

Perditi adolescentes in viam redeunt.

Lost children oftentimes come home againe, or youth that goeth astray will turne againe.

Perditis in adolescẽtia moribus multi sunt, qui deinde meliorem adepti mentem, meliorem ad mentem & sententiam reuocati, resipiscentes, honestius vitam instituunt, honestioris vitæ initium ordiuntur, laudabiliorem vitam exordiuntur, multorum est impuris moribus, improbis, inhonestis, turpissimis, inquinata adolescentia, contaminata, infecta: viuunt multi turpiter in adolescentia, student vitijs, turpem vitam colunt,

lunt,inhoneſtè vitam traducũt,pecudum more vitam tranſigunt,procliues ad vitia ſunt,turpi voluptate capiuntur,culpam facilè committunt.

Perditorum fugienda ſocietas.

The company of wicked is to be auoyded.

Non eſt cum improbis hominibus iungenda ſocietas: coire ſocietatem, coire in ſocietatem, inire ſocietatem cum perditis hominibus,dare ſe in ſocietatem perditorum,conferre ſe,adiungere ſe, applicare ſe ad homines perditos,coniungere ſe, vinculo ſe ſocietatis obſtringere cum perditis hominibus, vtilitatis vel maxima ſpe propoſita, vel ſi ſpes vtilitatis maxima oſtendetur, non decet, turpe eſt, minimè debemus: qui ſe ſocium ad perditos homines adiungit, cum perditis hominibus coit,perditos ſequitur,comitem ſe præbet improbis, facit turpiter, contrà quàm decet,minimè laudabiliter.

Per fratrem tuum agam.

I will compaſſe it by your brother,or I will vſe your brothers helpe.

Vtar ad omnia tuo fratre,vtar opera fratris tui,fratri me tuo committam,tradam: ſi quid agendum erit, per fratrem tuum vt agatur, operam dabo. Vide,Vtar fratre tuo.

Periculum honoris.

The hazarding of your honour.

Tuus honor agitur, honor tuus in diſcrimen adducitur,de honore periclitaris. Vide,Dignitas imminuta.

Perpetuò gratus.

Alwayes gratefull or thankefull

Dum viuam, quoad viuam, quatenus vitam producam, donec viuere licebit, dabo operam diligenter, id agam omni studio, curabo, enitar, contendam, in illud studium, illam curam, vnam illam rem incumbam, id mihi propositum erit in omni vita, eò spectabit animus meus, eò curæ, cogitationesque meæ referentur, intendentur, eò mea consilia dirigentur, vt me tibi memorem, gratumq; probem, parem vt gratiam, par pari vt referam, vt in me gratum animum desiderare non possis, vt officia tua paribus à me compensentur officijs: in omni meæ vitæ cursu nihil mihi prius erit, nihil antiquius, res mihi non tam erit vlla proposita, nulla de re laborabo magis, nulli rei studebo magis, aut seruiam diligentiùs, quàm vt de me optimè meritum esse læteris.

Peruersitas hominum.

The crokednes or frowardnes of men.

Summa est hominum peruersitas, grauiori enim verbo vti non libet: peruersi sunt hominum mores, duri nimis, ac difficiles: ingenio sunt homines peruerso, difficili, duro, à ratione auerso. Improbi multis partibus plures sunt, quàm boni.

φίλαυτος.

A selfe louer, a flatterer of him selfe, or one that standeth in his owne conceite.

Nimium tibi tribuis, nimium tibi arrogas, nimium tibi assumis, nimium te effers, nimium tibi places, as-

ſentaris ipſe tibi,te amas: cùm de te iudicas, non rationem,non veritatem conſulis:largiris ipſe tibi plus, quàm veritas concedat,plus quàm veritati.

Philoſophiæ te adiungas.

Giue thy ſelfe to Philoſophie.

Velim te ad eius ſcientiæ ſtudium adiungas, vnde naſcitur atque alitur moderatio vitæ, vnde recta viuendi ratio atque omnis ordo manat:velim te ad Philoſophiam conferas, tuum ſtudium applices: velim Philoſophiam complectaris, Philoſophiæ te dedas, tuam operam tradas,tuum ſtudium dices.

Philoſophus in ſe,non in fortuna collocat omnia.

The Philoſopher meaſureth all things by his owne wiſedom, and not by fortune.

Hic eſt mos Philoſophorum,ea vitæ ratio,illud inſtitutum,non vt à fortuna pendeant, cuius eſt in rebus humanis maxima vis, ſed vt in ſe ipſis omnia ſtatuant,collocent,ponant: omnes in ſe ipſis ſitas ac locatas rationes & ſpes habeant, ſe ſpectent ipſos, ſuis nitantur viribus,nihil aliunde ſpectent, à ſe ipſis omnia, præſidia conſtituant ad omnes caſus in ſe ipſis omnia.

Pingit egregiè.

He painted paſſing cunningly,or he draweth very well.

Apelles Veneris caput, & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, mirè pinxit, egregiè, ſic, vt nemo

melius: singulari expressit atque exornauit artificio, egregijs picturæ coloribus illustrauit, perfecit, ac perpoliuit egregiè.

Pingues hebetis ingenij.

Fat men are of dull vnderstanding.

Pinguis est, obesus est, pinguedine diffluit extra modum, quod hebetis, tardi, stupidi ingenij signum est, quod ingenii tarditatem arguit: quî potest in tanto abdomine, in tam vasta corporis mole, spiritus locum habere, ingenio aut menti locus esse? ex illa pinguedine, illo abdomine, illo sumine nobiles, elegantes, præclaræ cognitiones maximè excitantur.

Pius.

Godly and deuoute.

Qui pius est, religiosus, pius in Deum, qui honorē Deo, præstat, Deū animo spectat, Deo seruit, qui pietatem & religionem colit, qui suum animum, suas cogitationes, sua consilia ad Deum refert, qui piè religioseque viuit, qui cum pietate vitam ducit, qui omnibus in rebus ducem Deum sequitur, duce Deo vtitur, ad Deum spectat, cuius est vita cum pietate coniuncta, qui nihil non piè, nihil non cogitat cum religione coniunctum, ei optata omnia contingunt, fœliciter omnia succedunt, nihil non prosperè succedit.

Pœnas iudicio persequi.

To seeke for punishment by law, or to follow the law for punishment.

Milo pœnas à Clodio iudicio persequebatur: id agebat Milo, vt pœnas à Clodio debitas iudicio exige-

ret. Huius audaciam merita pœna ſi comprimitis, ceterorum animos frangetis.

Pollicitatio officij.

A promiſe of all dutie, goodwill and diligence.

Quæcunque tibi commendare potero, omni cura ac diligentia complectar: quæ tibi intelligam eſſe accõmodata, omnia ſtudioſè perſequar, diligenter præſtabo, meum erga te ſtudium in ijs maximè declarabo, quibus plurimum ſignificare potuero tuam mihi exiſtimationem & dignitatem cariſſimam eſſe: à me omnia in te ſtudia, atque officia, quæ quidẽ ego præſtare potero, velim expectes: velim vtaris opera mea: ſtudium meum dignitatis tuæ, vel tuendæ, vel etiam augendæ ſummum omnes intelligent: nihil erit tibi tam promptum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad voluntatem, ad commodum, ad amplitudinem tuam pertineãt, opera, cura, diligentia mea: profiteor atque polliceor eximium & ſingulare meũ ſtudium in omni genere officij, quod ad honeſtatem, ad gloriam, ad rem tuam ſpectet: nulla tibi in re neque ſtudium, neque beneuolentia mea deerit, præſtò non erit, qui antea fui, idem in poſterum futurus ſum in te ornando & amplificando: quæcunque mihi tui honeſtandi poteſtas dabitur, nihil prætermittã, quod poſitum ſit aut in ipſa re, aut in honore verborũ: nunquam mihi tui aut colendi, aut ornandi voluntas deerit: polliceor tibi ſtudium meum, & operam ſine vlla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: omnem meum laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tuis rebus conſumam: quicquid valeo, tibi valeo, vniuerſum ſtudium meũ & beneuolentiam ad te defero: vincam meis officijs cogitationes tuas.

Pollicitatio.

A promiſe.

Nihil non agam tua cauſa: nullum pro te laborem, nullum onus, aut officiũ recuſabo, ſubibo omnia tua cauſa, tuis in rebus toto pectore, cunctis viribus contendam, neruos omnes, vbi res tuæ poſtulabunt, intendam, omnia mihi pro te ſuſcepta, nec difficilia, ſed iucunda erunt: mea tibi ſtudia, atque officia præſtò erunt. Pro te mori poſſum.

Pollicitatio ſtudiorum.

A promiſe of all good will.

Vbi ſe obtulerit occaſio, mea in te ſtudia extabunt, mea in te ſtudia conferam, ornabo te, omnia tibi ſtudia præſtabo, mea ſtudia non deſiderabis.

Pontifex.

The Pope, or high prieſt and biſhop.

Pontificum munus ſuſtinet, Pontificis agit partes, Pontificem agit, Pontificis loco eſt, vicariam operam Pontificis loco præbet, Pontificis perſonam gerit, ſuſtinet.

Poſt longum tempus redijt.

He came at the length, or, it was long before he came.

Aliquando, denique, demum, poſt diurnum tempus, longo temporis interuallo, cùm temporis multũ abijſſet, tranſacto iam multorum annorum ſpatio, redijt, reuertit, reuerſus eſt, recepit ſe ad ſuos lares, patriam, cunabula, patrias ſedes.

Poteſtatem ſummam obtinere.

To haue the higheſt authoritie.

Audio te Mediolanum ſummo cum imperio obtinere, tuam eſſe ſummam poteſtatem, ſummum ius adminiſtrãdi Mediolani rebus, præeſſe te Mediolano eo iure, quod ampliſſimum eſſe poteſt, ea poteſtate, quæ poteſt eſſe maxima:ita te Mediolanum regere,vt ſummo vtaris imperio,liceat tibi quicquid velis.

Præclarè ſcripta ſunt à veteribus de virtute.

Our Auncients haue written verie well of vertue.

Ita veteres de virtute ſcripſerunt,vt in libris eorum ſingulis eniteat, eluceat, emineat, excellat induſtria: præclara ſunt à veteribus ad bene viuendum ſcripta, de virtutis præſtantia tradita,prodita,memoriæ mandata,monimentis conſignata literarum,ſcriptis explicata,conſignata chartis, tradita literis,prodita literis, mandata,conſignata,commendata,compræhenſa,expreſſa, explicata.

Præmia virtutis,honores.

Honor the reward of vertue.

Si vt inſtituiſti, perges, ſi curſum inſtitutum tenebis,ſi tuam conſuetudinem ſeruabis, omnia quæ ſunt in Republica ampliſſima,conſequêris,præmium feres tuæ virtutis eximios honores: ad ſummos honores, ad ea,quæ ſumma ſunt in republica,tua te virtus efferet,extollet:merces tuorum meritorum erit ampliſſima dignitas: aditũ tibi ad maximos honores aperies,

patefacies, viam ſtrues, munies: honorem in Republica nullum fruſtra petes, multi etiam non petenti vltrò deferentur.

Præmia virtuti propoſita.

Rewardes appointed for vertue.

Præmiorum ſpe magna, admodumque firma niti poſſunt ij, quorum vita cum virtute traducitur: egregia præmia pro certo expectare, ſine dubio polliceri, planè ſperare licet iis, qui virtutem colunt, qui rectè atque honeſtè, & cum virtute vitam agunt, peragunt, ducunt, traducunt, viuunt: magna ſunt rectè agentibus præmia conſtituta, propoſita: ſumma rectè agentes manent præmia: certum fructum boni colligent, capient, percipient, ferent ſuæ virtutis, probitatis, officij, optimorum conſiliorum atque factorum: mercedem actionum ſuarum expectare certiſſimam poſſunt, qui virtutem in vita primã habuerunt, quibus in vita virtus fuit antiquiſſima.

Pro alio ſoluendum.

You muſt paie for another.

Dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopõdiſti, pro illo ſolues, illius promiſſum præſtabis, pro illo ſatisfacies. Vide, Soluendum pro altero.

Probabo me tibi eſſe amiciſſimum.

I will ſhew my ſelfe thy verie friend.

Nullum erga te officium hominis amãtiſſimi prætermittam: meam in te non mediocrem, non vulgarẽ, eximiam, ſummã, ſingularem, incredibilem beneuolentiam re declarabo, oſtendam, patefaciam: quouis officio-

officiorum genere teſtificabor,teſtatam apud te relinquam,tibi probabo: ſic officijs & ſtudijs illuſtrabo,vt eam & tu,& omnes clariſſimè cernant, vt ea tibi,atq; adeò cunctis hominibus clariſſimè pateat. Notior & illuſtrior meus in te animus erit.

Probatio opinionis.

A proofe of my opinion.

Probabo tibi meam ſententiam: efficiam,vt opinio tibi mea cum ratione congruere videatur: oſtendam eſſe,cur probes meam ſententiam.

Procurat mea.

He doth all thinges for me.

Meas rationes tractat,mea negotia gerit, meas res curat, adminiſtrat, meus procurator eſt,mea negotia procurat, is eſt, cui res meas commiſi, credidi, commendaui, tradidi, mandaui, ſuſtinet rerum mearum curam.

Prodigalitas turpis.

To ſpende waſtfully bringeth ſhame, prodigalitie is a ſhamfull vice.

Si tuam rem malè diſſipaueris, perdideris,conſumpſeris,in res inanes erogaueris, conieceris, dedecori tibi erit, infamiæ, ignominiæ, turpe tibi erit, infamia conſequetur.

Producis rem.

You differ, prolong or delay the matter.

Id agis, vt rem extrahas, ducas, producas,protrahas, differas, proferas, proroges, protendas, in aliud

tempus reijcias,protrudas:vt rem suspēdas, sustineas vt rei moram facias,moram inijcias. Vide,Res dilata.

Proficiscuntur ad Deiotarum.

They take their iourney to Deiotarus.

Ibant,proficiscebantur,commeabant, iter habebāt ad Regem Deiotarum,conferebant se,recipiebant se ad Regem Deiotarum: erat illorum iter ad Deiotarum versus.

Propinqui & affines egregij.

Honorable alliance,or a noble kindred.

Propinquis & affinibus flores: à propinquis optimè paratus es,munitus es:propinquis abundas:copia flores propinquorum.

Prouinciam cum laude administrauit.

He gouerned the prouince with great praise.

Prouinciam rexit præclarè, egregiè administrauit, cum laude gessit: magna virtutis & innocentiæ fama prouinciæ præfuit:in illius administratione prouinciæ summa virtus enituit:in gerēda prouincia laudes illorum æquauit, quorum nomina propter egregia facta, singularemq; iustitiam perpetuò viuēt in animis hominum: quorum vigebit memoria in omnes annos, multis testata expressaque rectè factorum monumentis, quorum memoriam ob iustitiæ præclara facta excipiet,ac tuebitur immortalitas.

Publica & priuata æquè curanda.

Like care is to be had as well of the publike,

as

as your owne priuate wealth.

Debet vnuſquiſque ſuam voluntatem ad publicam cauſam aggregare: rempubl. curare, reipubl. curationem habere: reipub. rationibus conſulere eo ſtudio debemus, quo rem noſtram familiarem, quo fortunas noſtras, quo priuata commoda tueri, complecti, fouere ſolemus: vnuſquiſque æquè publicam rem curet ac priuatam.

Puerorum eſt intemperantia.

Not to be able to order or rule them ſelues, is childish.

Puerorum hoc eſt, auidius appetere, vt ad appetendum procliuiores ſint, vt eos ab appetendo ratio non ſatis arceat, contineat: vt in appetendo nimis efferantur, minimè ſibi temperent, ſibi moderētur, ſibi parcant.

Pulchrè factum.

Done honorably.

Nihil à te neque elegantius, neque ad honorem præſtantius effici potuit: facinus feciſti: pulcherrimum, & in primis honorificum: ſpecioſa res eſt, valdéque ampla, quam præſtitiſti.

Puſillanimis.

A daſtarde, cowarde, or of a baſe conrage and ſtomacke.

Summam in eo animi humilitatem cognoui, animi demiſſionem, abiectionem, infirmitatem, imbecillitatem, tenuitatem, anguſtias: hominem eſſe vidi exigui admodum animi, demiſſi, abiecti, humillimi, infirmi,

imbecilli,peranguſti, in primis puſilli,nihil altum ſuſpicientem , nihil ſpectantem in laude poſitum, nihil de laude cogitantem, nullius laudis cupiditate flagrantem, auerſum ab omni gloriæ ſtudio, in humiles planéque ſordidas cogitationes deiectum , tanquam humi ſerpentem.

Qua cauſa ſperes non video.

I ſee no cauſe why you ſhould hope.

Non video, cur ſperes , quare, quamobrem, qua cauſa,qua de cauſa,quam ob cauſam,qua ratione adductus,qua commotus cauſa,quo impulſus argumento : quæ te ratio, quid rationis in hanc ſpem adduxit, impulit ? cum in hanc ſpem veniſti, quam rationem ſecutus es,quæ te duxit,aut hortata ſpes eſt?quid effecit,vt ſperares ? tuæ ſpei cauſam ignorare me confiteor:ſpei tuæ cauſa me latet,præterit,fugit: mihi quidem aperta, perſpicua, manifeſta, ſatis clara non eſt : perobſcura apud me eſt, explorata mihi non eſt, obſcuritatis apud me habet plurimum.

Quamprimum natus ſum.

As ſoone as I was borne,or euer ſince I was a childe,from my infancie or youth.

Ab initio ætatis , à primo ætatis exordio, à prima ætate,ab ineunte ætate,à primis temporibus,à puero, iam inde à puero , iam inde vſque à puero , à prima pueritia,à primis annis,à teneris,vt Græci dicunt,vnguiculis, à die natali , ab ortu primo, à quo die natus ſum,ex quo ingreſſus in vitam ſum,ex quo lucis vſura frui cœpi,ex quo vitæ limen attigi , animam ducere, ſpiritum haurire de cœlo cœpi.

Quam

Quam tu dignitatem esse existimas, ego infamiam puto.

What you esteeme as worship, I take to be an infamie vnto you, or will discredite you.

Qua tu in re dignitatẽ, ego deformitatem statuo, pono, loco, sitam censeo, positam, locatam, constitutam: quem tu dignitatis, eum ego locũ infamiæ puto: quod tu valere ad laudem existimas, ego dedecus in eo, turpitudinemque constituo: vnde tu decus, & gloriam speras exoriri posse, inde ego, ne dedecus emergat, ne emanet infamia, ne turpitudo effluat, magnoperè vereor.

Qui consolari à nemine queat.

Comfortlesse, or which can not be comforted.

Nihil est, quod solatium, consolationem præbere, afferre, parere, solatio esse, cõsolationi esse mihi possit: nulla res est, quæ creare, reficere, leuare, vindicare à dolor erare sollicitudine, eximere dolore, abducere à cura, auocare à molestia, abstrahere, auellere à mœrore animum meum possit: afflictum à mœrore animum, languentem, iacentem erigere, excitare, cõfirmare nulla iam consolatio potest: affectum dolore animum sanare nulla ratio valet: laboranti animo, ægrotanti, pessimè affecto mederi satis nulla ratio valet: parùm apta remedia reperiuntur, inutilis, infirma, inanis, superuacanea prorsus omnis medicina est: quis iam homo (dicerem nisi esset impiũ, quis iam Deus) animo meo virtutem, dolore ereptam, restituere possit? quis ea sanare vulnera, ijs vulneribus mederi, medicinam afferre, remedium inuenire, quæ mihi fortu-

na intulit, imposuit, inflixit? ita dolore obruor, vt emergere nulla ratione possim, ita malis opprimor, prorsus vt respirare non liceat: respuit iam animus meus, quasi desperata salute, omnem medicinam, remedia cuncta, omnia consolationum genera: frustra in me consolando ponitur opera: inanem operam sumit, qui ad me consolandũ aggreditur: insitus, infixus in animo dolor ita penitùs est, vt euelli nulla ratione possit: vt nulla vis rationũ possit esse tanta, quæ illum, ne die quidem adiuuante, possit euellere, extrahere, educere, eripere: finem facerę dolori meo, finem imponere, modum statuere, terminum statuere, dolorẽ medicari, neque homo est, neque res vlla, quæ possit: non est vt possim in dolore mihi temperare, dolorę abstinere, dolorem sedare, abijcere, ipsum me ad eam hilaritatem, eam iucunditatem, quam dolor ademit, reuocare, referre me ad pristinam animi æquitatem, in eum statum, vnde me dolor deiecit, deturbauit, depulit, detrusit, restituere.

Qui Deo se dicat, optimè facit.

Who so dedicateth himselfe to God doth best.

Qui se Deo dicat, addicit, dedit, totum tradit, optimam partem eligit, rectam init viam, cursum capit laudabilem, præclarè vitam instituit, egregiè sibi cõsulit, sapienter facit, qui se ad vnum Deum confert, qui suas omnes cogitationes, omnia studia in vno Deo figit, ac locat, qui ab vno Deo pendêre vult, qui vnum deum curat, contemnit cætera, qui diuina studia, prætere a nihil colit: qui Christianam pietatem non communi vulgarique instituto, sed proprio quodam studio, propria quadam mentis inductione complectitur,

plectitur, is omnium optimè suis rationibus consulit, ac prospicit.

Quid futurum sit, ignoro.

I know not what will fall out, or happen.

Quid casurum sit, euenturum sit, quid cadere, quid consequi possit, ignoro, non dispicio: quid tempus laturum sit, exploratum nō habeo: latent me quæ nasci possunt, futura me fugiunt, non assequor ea, non assequor coniectura, diuinare nō possum, aut mente præcipere, quæ ferre, parere, patefacere dies ipsa potest: futuri casus aperti mihi non sunt, mihi non patent, me fugiunt, prætereunt, latent.

Quid illos audis?

Why giuest thou eare vnto them?

Cur ad istorum sermonem aures tuæ patent? cur horum sermonibus aures præbes? cur hi tuis auribus vtuntur æquissimis? cur te tam facilem habent in audiendo? cur tantam audiendi molestiam aures tuæ sustinent?

Quis Rempub. capesset tantis propositis periculis?

Who will gladly beare any office, or rule the common wealth the state standing thus dangerous?

Quis Rempub. attinget, Rempub. capessere, suscipere, tractare, ad Rempub. se conferre audeat, tot periculorum metu proposito, qui sibi tot impendêre, imminere pericula intelligat: quis operam Reipub. dare, in Repub. versari, Rempub. gerere, administrare,

ad Rempub.ſua ſtudia conferre,tot periculis impendentibus, imminentibus, animum inducat, facilè ac libenter velit?

Quo animo in te fuerim,ſcio.

I know what my good will hath bin toward you.

Quo fuerim ſemper in te animo, qui meus fuerit erga te animus,quo ſenſu in te fuerim,quo modo animatus, teſtis ipſe mihi ſum, teſte vti me ipſo poſſum, teſtem habeo conſcientiam meam,teſte licet vti conſcientia mea,conſcius ipſe mihi ſum.

Quod creſcit,minuitur.

What ſo euer encreaſeth,may decreaſe againe.

Quicquid augetur,creſcit,maius atque amplius fit, amplificatur,quamcunque fit ad rem acceſſio, aliquid accedit, accreſcit, eandem minui, imminui, diminui, comminui neceſſe eſt, attenuari, extenuari,iacturam pati,de ea detrahi,diminui,adimi,auferri.

Quod honori obſit.

Impayring your honor.

Hæc honori tuo,tuæ dignitati,tuæ laudi aduerſantur,aduerſa ſunt,nocent,officiunt, labem inferũt,maculas inijciunt, tenebras offundũt, damno ſunt,detrimento ſunt,iacturam afferunt, de honore tuo detrahunt,adimunt,auferunt: lædunt honorem tuum, imminuunt,turpi labe inficiunt,quaſi tenebris circumiectis,circumfuſis,offuſis obſcurant.

Ratio aduerſa.

Adi-

A diuers or contrarie waie.

Alia mea ratio eſt, diuerſa mea ratio eſt, meæ res alio loco ſunt, non eadem mea ratio eſt, aliter ſe habent res meæ, nihil ſimile, nulla ſimilitudo, quid ſimile? nihil habet res ſimilitudinis, diſſimilitudo magna, diuerſa omnia, diſſimilia, prorſus alia.

Rationes diſſentientes.

Unlike trades.

Diſſimillima, diuerſa in primis rerum noſtrarum ratio eſt, meæ rationes admodum à tuis differunt, diſcrepant, diſtant, diſſentiunt: multum inter res noſtras intereſt: non idem eſt mearum ac tuarum rerum ſtatus: meæ rationes aliter, ac tuæ ſe habent, diſſimiliter, diuersè, diuerſa quadam ratione, prorſus alio modo.

Rarò ad me ſcribis.

You wright ſeldome vnto me.

Infrequens es in officio ſcribendi: raras à te literas accipio: minus ſæpè ad me ſcribis, calamo parcis: officium literarum abs te requiro, in te deſidero, impiger admodum in ſcribendo non es: crebriores à te literas poſtulo: non ſatisfacis officio tuo crebritate literarum: crebrius vellem ad me ſcriberes.

Reconciliatus amor.

Reconciled friendſhip, or made friends agine.

Cum inimicis in gratiam redij, reconciliatus ſum, reiecto odio me coniunxi, pacem colui, inimicitias, ſimultates, odia depoſuimus, abiecimus, omnem veterum iniuriarum memoriam, omnem vlciſcendi voluntatem ex animo deleuimus, pulſo odio ſucceſſit

amor, odium amore commutauimus, depositis odijs mutuam beneuolentiam suscepimus: orta est inter nos vetere prorsus extincto odio, mutua beneuolentia, animorum nostrorum in amore mutua consensio, ad amandum, mutua propensio, animorum ac voluntatum similitudo.

Rectum iudicium.

A good or an vpright iudgement.

A certo, & vero sensu iudicas, quod isti, ne faciant, maleuolentia, & liuore impediuntur: non tuæ mentis oculos liuor obducit, rectum animi sensum in iudicãdo sequeris, tuum iudicium ratio dirigit, ac moderatur, quod ratio præscribit ac probat, id iudicas, quod istis per maleuolentiam non licet, quam istis facultatem eripuit liuor & maleuolentia.

Reditus importunus.

Your returne was out of time.

In alienum tempus cadit reditus tuus: non redis oportunè, alieno tempore reuerteris: reuertendi maturitas nondum aderat, non erat cur hoc tempore redires: tuum reditum minimè tempus postulabat, ratio temporis improbat ac dissuadet: minimè conuenit cum tempore tua reuersio: si temporis rationem spectasses, redeundi cõsilium non cepisses, aut susceptum abiecisses, improbasses, vituperasses, repræhendisses, damnasses, ineptum, absurdum, auersum à ratione, planè stultum iudicasses.

Rei difficultas.

A busie worke to compasse: A peece of trouble,

trouble, or the difficultie of the thing.

Difficilis res eſt, laborioſa, non facillima, minimè facilis, difficultatis habet, negotij, laboris plurimū: nō ea res eſt, quæ facilè, paruo negotio, leui labore, non magno ſtudio poſſit effici, magnæ difficultatis, multi laboris, non parui negotij, non operis exigui: laborioſa, operoſa, grauiſſima res eſt, in qua ſudandū ſit, ſuſtinendi labores, multum operæ ponendum, vigilandum, excubandum animo ſit, nō leuiter laborādum, ſtudii multum, induſtriæ plurimum ſit adhibendum.

Rem meam non curaui.

I regarded not mine owne profite.

Nullam hactenus vtilitatis meæ rationem habui, duxi: ſpectaui quid eſſet è re mea, in rem meam, quid ad rem meam pertineret, in rem meam faceret, conueniret, quid rebus meis expediret, prodeſſet, conduceret, vtile eſſet, vtilitatē afferret, vtilitati eſſet, emolumēto eſſet, bono eſſet, fructum pareret. Vide Commodis meis non conſului.

Res adducta in optimum ſtatum.

It is brought to a good paſſe or caſe.

Hoc videor mihi eſſe cōſecutus, vt optimam ſpem habere, optimè ſperare, optima ſpe niti poſsimus: eò rem perduxiſſe mihi videor, vt euentū ſperare quàm ſecundiſsimum liceat: rem, vt opinor, ita conſtitui, in eo ſtatu collocaui, in eum ſtatum adduxi, ita compoſui, atque cōformaui, nihil vt aduerſum timere, nihil contra voluntatem, omnia ſecunda, qualia volumus, ex noſtra voluntate, ex animi ſentētia ſperare poſſimus: iacta ſunt à nobis fundamenta rei, ſic inquam, vt

certa propemodum in ſpe reliqua ſint. Vide, Ad finem optatum.

Res communis.

You ſhall vſe any thing that I haue, as though it were your owne, Be as bolde with my goods as with your owne.

Communicabo tibi, impertiam tibi rem meam: communis inter nos erit mea res: partem capies de mea re, rei meæ particeps eris: non minus tibi quàm mihi, tibi pariter, & mihi, æquè vtrique noſtrum, non mihi magis, quàm tibi, mea res patebit: vtemur communi iure, æquo iure, pari poteſtate mea re: iuris tibi tantum, quãtum ipſi mihi, erit in mea re: mecum rem meam communicabis, communem habebis.

Res dilata.

The matter put off, or deferred.

In Ianuarium reiecta, producta, dilata, prolata, prorógata, protracta, protruſa res eſt: caue, ne mihi ſpatium producatur, dies proferatur, tempus prorogetur. Vide, Producis rem.

Res familiaris integra.

Thy goods are whole or nothing impayred or diminiſhed.

Integræ ſunt adhuc res tuæ: ſalua ſunt hactenus apud te omnia: nihil dum perdidiſti, ſtatus idem eſt qui anteà rerum tuarum: eodem loci ſunt, quo antea, fortunæ tuæ: nihil detractum eſt de fortunis tuis: nullam res aut fortunæ tuę iacturam fecêre, nullum damnum tulêre, nullum detrimentum paſſæ ſunt, nihil aduerſi

uersi subierunt:nullam partem desideras fortunarum tuarum: nihil eripuit fortuna, abstulit, ademit, detraxit.

Res familiaris imminuta.

My stocke is decayed or impayred.

Fortunæ tuæ dissipantur: res familiaris tua disperditur, disijcitur, imminuitur, perditur, dãnis afficitur, accipit iniuriam, distrahitur: detrahitur de tuis fortunis: iniuriosè tractantur fortunæ tuæ: damna inferuntur fortunis tuis: inuaduntur fortunæ tuæ: irruitur, impetus fiunt in fortunas tuas.

Res fructuosa.

A very profitable thing.

Nihil est vberius, fructuosius, conducibilius, ad vtilitatem præstantius, maioris emolumenti, vnde plus manet vtilitatis, plus emergat commodi, plus existat emolumenti, nihil est è re magis, nihil magis ad rem pertinet, nihil pluris est, tantùm continet vtilitatis, quantum fortasse nulla res præterea, quantum haud scio an vlla res præterea.

Res ita se habet.

It is so.

Induc animum, induc in animum, ita esse: pro certo habe, persuade tibi, pro certo existima, planè credas, ita crede vt minimè dubites, exploratum habeas, atque omninò certum, pro comperto habeas: sit hoc apud te minimè dubium, sit exploratum, rem ita se habere, in hoc statu esse, hunc esse rei statum.

Res magna.

A weightie matter.

Grauis admodum hæc res eſt,grauitatis,ponderis habet multum ; minimè leuis eſt, ineſt in hac re grauitatis,ponderiſque multum, non mediocre pondus. Hæc magni negotij res eſt,admodum operoſa , occupationis non exiguæ, eiuſmodi, vt curam ac diligentiam non mediocrem poſtulet , non leuiter curanda, non frigidè,aut languidè agenda, tractanda videatur.

Res meæ meliores eſſent te defenſore.

My affayres had bin in better caſe, had you looked vnto them.

Res meæ benè ex ſententia ſucceſſiſſent , proſperè cecidiſſent,nihil in rebus meis accidiſſet incommodè, ſi tu eas geſſiſſes, adminiſtraſſes , tractaſſes, curaſſes, procuraſſes:ſi rebus meis præfuiſſes , operā dediſſes: ſi rerum mearum,fortunarum,cura penes te fuiſſet,ad te pertinuiſſet:ſi tua in rebus meis opera vſus eſſem:ſi rationes meæ te curatorem,procuratorē habuiſſent.

Res minimè impeditæ.

Matters nothing intricate,or troubleſome.

Res meas tibi tradidi, ſatis aptas,explicatas, expeditas,optimè conſtitutas,nullis difficultatibus amplificatas : eiuſmodi, vt exhibere tibi negotium aut nullum,aut certè minimum poſſint,vt labori tibi eſſe,aut moleſtiæ nequaquam poſſint.

Res noſtræ ſimiles.

Our buſineſſe is one,or our caſes are like.

Rerum mearum imaginem video in rebus tuis : in rebus tuis meas agnoſco : ſimilliſima rerum noſtrarum ratio

ratio est: à rebus meis tuæ minimum differunt: nulla est rerum nostrarum dissimilitudo: planè res meas in tuis agnosco: res tuas nihil à meis intelligo differre, nihil discrepare: congruunt res tuæ cum meis: rerum nostrarum eadem ratio est, nulla dissimilitudo: qui tuas res intuetur, meas intueri se dicet: tuæ res nihil differunt à meis: inter res nostras nihil interest, nihil est, quo res tuæ differant à meis.

Res penè confecta.

Allmost ended.

Puto rem aut iam esse aliquam, aut appropinquare: puto aut confectum iam aliquid est, aut inibi esse: vt opinio mea fert, res non abest longius, non longè absumus à re, longinqua res non est.

Res præclara.

A matter of great importance.

Magnum quiddam specto, magni momenti, magni ponderis rem in animo voluo: præclara quædam, admodùmq; sublimia suspicit, & cogitat animus meus. Post hominum memoriam, post homines natos, ex omni memoria, nihil gloriosius.

Respublica penitus interijt.

The cōmon wealth vtterly vndone or decayed.

Perijt respublica, cōcidit, nulla prorsus est, formam planè pristinam amisit: actum est penitus de republica: formam, imaginem, simulachrum veteris reipublicæ nullum agnoscas: vestigium reipublicæ nullum superest: fuit respublica: communis res ita dilapsa est, vt ne spes quidem, melius aliquando fore, prorsus vlla

relinquatur: perijt omninò reipublicæ ſalus:non aduerſa tantùm eſt,verùm etiam penitus euerſa fortuna reipublicæ: fractæ ſunt opes, afflictæ vires, amiſſa dignitas,extincta ſalus reipublicæ.

Res reprehenſa.

A matter miſliked.

Res palàm exagitatur, vituperatur, accuſatur, reprehenditur,damnatur, acerbè notatur, infamia notatur, improbatur, ſermones ea de re minus commodi ſunt,parum honeſti diſſipantur.

Res ſaluæ.

All is well with you, you haue no loſſe.

Res adhuc tuæ tibi ſunt integræ, ſaluæ, incolumes: nullam res tuæ iacturam tulerunt: nihil detractum eſt de tuis rebus: incolumitatem obtinent res, rationes, fortunæ tuæ: benè eſt rebus tuis, nihil præter voluntatem, nihil ſecùs,nihil contra quàm velis.

Robore præſtans.

Strong, of great ſtrength.

Neminem cognoui fortiorem, validiorem, in quo plus roboris,firmitatis,virium ineſſet,qui firmior eſſet à viribus, qui virium firmitate præſtaret, qui robore corporis illũ anteiret,qui viribus magis valeret, cuius eſſet præſtantior fortitudo.

Robuſtus.

Strong and mightie, valiant or puiſant.

Tam firmus es, tam validus, tam fortis, tam robuſtus,quàm qui maximè:ita paratus es à viribus, vt nemo

mo magis: viribus vales, nemo tibi viribus superior est, præstat, antecellit: superiorem viribus neminem habes, paucos pares: firmitate corporis excellis: vires in te sunt firmissimæ: virium, roboris, neruorum in te plurimũ est: egregiè robustus es, validus, firmus, fortis.

Rogo magnoperè.

I instantly desire you, or I pray you hartely.

A te maximoperè pro nostra summa coniunctione etiam atque etiam peto & quæso: precibus tecum ago quàm possum diligentissimis: rogo te quàm studiosè possum, da mihi hoc, largire, sine me hoc à te impetrare, hoc in me confer gratiæ, hoc impertias gratiæ, noli pati meas esse irritas & inanes preces: sit apud te meis precibus locus: exaudi, excipe meas preces: ne me rogantem suppliciter à te reijcias: meis precibus facilem te præbe. Vide, Maximoperè rogo.

Rogo vt hunc suscipias.

I desire you to shew him some fauour.

Pro eo, quanti te facio, quanti es apud me, quanta mea est erga te obseruantia, quantum tibi tribuo, tibi defero, pro mea de te opinione, pro animo, volũtate, studio in te meo, peto à te, vt hominẽ suscipias, complectare, foueas, in tuis habeas.

Rudis.

Rude and ignorant.

Non est cur miremur, si sæpè labitur is, qui est omnium imperitissimus, maximè rudis, maximè insciens, cuius ignorantia, inscitia, inscientia summa est, qui omnes inscitia vincit, cui neminem inscitia parem in-

uenias, quem omnia latent, qui nihil prorſus nouit, omnium rerum ignarus eſt, nihil omninò videt, nullam partem doctrinæ tenet.

Rumores incerti.

Vncertaine rumors,newes or tales.

Rumores ſunt,ſatis illi quidem conſtantes, ſed ſine autore: rumor eſt,ſed ſine capite, ſine autore,rumore ipſo nuntio:ſermones exaudiuntur,prorſus tamen incerti, inanes, infirmi, orti ex voluntate,qui nulla veritate nitantur,diſſipati ſine cauſa, autore nullo:iactantur hæc ſermonibus incertis, ſermones ij, quibus haberi fides nulla debeat,vnde merito fides abſit,in quibus non ſit pondus, qui nihil certum ſequantur, qui neque nuntijs,neque literis comprobentur, quos veritas nulla confirmet,qui nulla veritate, nullo ſatis firmo teſtimonio, nullo prorſus argumento, rationéve nitantur.

Ruri eſſe,iucundum.

Pleaſant being in the countrey.

Ruri eſſe,ruri habitare,rus colere,ruſticari,cum ruſticis eſſe,in agris eſſe,ruſticam vitam agere, periucũdum eſt,delectat in primis, iucunditatem habet,ſummæ voluptatis eſt,malè affectũ animum recreat, mœrorem fugat,mæroris medicina eſt.

Salua republica liberalis, nunc nimis parcus.

Before the publike plage of the realme he was liberall,but now too too ſparing or niggardly.

Saluis

Saluis rebus,rebus nondum perditis, cum salui eramus,ante publica mala,dum reipub.salus erat integra,incolumi republica, stante republica, vigente republica, cùm respublica suum ius obtineret, sui iuris esset,suum ius possideret,suo iure vteretur, cùm optimus esset reipub.status, ante casum reipublicæ, antequam respub. concideret,occideret,periret,liberaliter agebas,liberalitatem colebas,exercebas,liberalitate vtebaris,eos,quibus cum tibi res esset liberaliter tractabas:nunc in omni re frugaliter,parcè,tenuiter, restrictè, infra modum potius, quàm supra modum sumptum facis : in faciendo sumptu parcus es & illiberalis : satis moderatè vel angustè potius impensam facis : tuos sumptus nimis ad frugalitatem reuocas, nimis accurata frugalitatis regula metiris.

Salutatores humaniter excipit.

He welcometh friendly all that salute him.

Complectitur, quisquis eum it salutatum,quicunque ad eum honoris causa venit,accedit,adit : euntes ad eum salutandi causa,salutátes eum honoris causa, perhumaniter excipit, hilari admodum & benigno vultu,omni genere humanitatis,quod vultu & verbis exprimi possit, quàm licet humanissimè, sic, vt nihil humaniùs eo vultu,qui facilè gratiam ineat,beneuolentiam conciliet, hominum animos amore deuinciat,ad amandum alliciat.

Sanum iudicium.

A sounde iudgement.

Optimam partem elegisti,sapienter vitam instituisti, rectum cursum cepisti, optimo iudicio vsus es, sa-

pienter iudicasti,cùm te ad ingenuarum artium studia contulisti.

Sapiens futura præuidet.

A wise man foreseeth that which is to come.

Sapientia præditi longè in posterum prospiciunt, res futuras, vt præsentes, intuentur, tanquam oculis cernunt: sapientibus euenta rerum patent,ante oculos futura sunt: sapientes percipiunt animo futura, coniectura futuras res assequuntur,ea,quæ impēdent, tanquam ex aliqua specula prospiciunt. Vide, Vitæ approbatio.

Sat diues.

He is sufficiently riche.

Satis erat diuitijs instructus,munitus, paratus à re, res erat ei familiaris satis ampla, satis habebat, satis possidebat diuitiarum,satis ei diuitiarum erat:minimè erat ei angusta res domestica: satis valebat opibus.

Satis diu vixi.

I haue liued long ynough.

Iam me ad exitum vitæ penè natura ipsa perduxit: ætatis satis superq; vixi: nō est cur me pœniteat,quātum vixerim: vixi vitam satis diuturnam,cursus mihi vitæ iam penè confectus & absolutus est: decursum mihi iam propè vitæ spatiū est: quantulum mihi vitæ spatium restat: quantulum mihi vitæ restat, superest, reliquum est, relinquitur? tanquam à carceribus ad metam vitæ iam perueni:vixi quatenus homini licet, quatenus homini satis esse possit:extremæ senectutis onus sustineo: extrema mihi vitæ pars agitur.

Scelus

Scelus committere.

To commit ſome haynous fault, or miſchieuous deede.

Grauiſſimè peccas, ſceleratè agis, ſummum dedecus admittis, piaculum cõmittis, maximo te ſcelere adſtringis, obſtringis, culpam grauem committis, iniquiſſimè facis, ſcelus committis, perpetras.

Scio, quanti hunc æſtimes.

I know what count you make of him.

Noui locum, quem tenet apud te, noui, quo ſit apud te loco, qui ſit apud te, quanti eum facias.

Scribendo præſtas.

Thou excelleſt in writing, or thou writeſt exceeding fayre.

Scribis egregie, ſcribendi laude excellis, ſubtiliter & eleganter ſcribis, ita ſcribis, ita verſaris in ſcribendo, ita te in optima ſcribendi ratione exerces, tua vt excellat induſtria, ſcribis vt pauci, propriam quandam laudem in ſcribendo conſequeris: præclara ſunt, quæ ingenio ſtudioq́ue paris, quæ tua parit induſtria: mirabiles ſunt, minimè vulgares ingenij & induſtriæ tuæ fructus.

Seditio peſtis Rerumpublicarum.

Sedition, diſcord, or variance, is a plague in common wealthes.

Multas reſpublicas ciuiles diſcordiæ perdiderunt, domeſticæ ſeditiones, inteſtine bella, cõtrouerſiæ inter ciues, partium contẽtiones, è ciuilibus diſcordijs,

contentionibus, controuerſijs, diſſentionibus, ſeditionibus multarum rerum publicarum pernicies fluxit, manauit, orta eſt.

Seditio peſtis vrbium.

Sedition a plague of cities.

Ciuiles diſcordiæ, domeſticæ ſeditiones, ciuium diſſenſiones multas vrbes, opibus admodum florentes, euerterunt, ſolo æquarunt, diruerunt, exciderunt, afflixerunt, perdiderunt, ſuſtulerunt, multis vrbibus perniciem, exitium, peſtem, excidium, ruinam, interitum attulerunt, exitio fuerunt.

Senes prudentiores.

Olde men wiſer.

Senum conſilia non ſæpè inutilia ſunt, inania, ſtulta, abſurda: rarò labitur ſenilis ætas in conſilijs: ſapienter ferè conſulit ſenilis ætas: optimis, ac firmiſſimis rationibus ferè ſemper nititur ſenilis opinio, ſententia: ſapienter conſulunt ſenes, optimam partem eligunt, non peccant in conſilio, non errant, non labuntur, non offendunt: quorum grandior eſt ætas, qui longius ætate proceſſerũt, is eorum ſolet eſſe ſenſus, qui à ratione non diſcedat, recedat, procul abſit, qui cum ratione congruat, quem ratio confirmet, à quo ratio non diſſentiat.

Senſus animi latens.

My inwarde minde or thought not able to be expreſſed.

Mentis cogitata, conſilia, animi ſenſa, ſenſus intimos, non eſt, vt poſſim enunciare, patefacere, oſtendere:

dere: exprimendis animi ſenſis impar oratio eſt, animi ſenſa non efficiunt, verba deſunt, apta verba requirũtur: mentem oratio non aſſequitur, non æquat, exprimere ſatis non poteſt.

Sententia è Republica.

A ſentence in the behalfe, or for the profit of the common wealth.

Sententiæ noſtræ, ſi minus è re tua ſunt, reipub. rationibus conducunt: tuam ſi vtilitatem oppugnant, reipub. commoda tuentur, ſi tibi detrimentum, reipub. commodum afferunt: tua ſi minuunt, reipub. augent commoda: ſi tuis aduerſantur, reipub. rationibus expediunt.

Sententia à Prudentibus approbata.

A ſentence or opinion approued of all wiſemen.

Tua ſententia magnum apud eos, qui rectè iudicant, pondus habet: plurimi eſt apud intelligentes opinio tua, ſenſus tuus, iudicium tuum, id quod tu probas, id quod placere tibi ſentiunt, quod tu optimum cenſes, quod teſtimonio tuo confirmatur: grauis eſt, magni momenti eſt, minimè leuis eſt, magni ducitur, autoritatis habet plurimum, non vulgarem obtinet locum apud ſapientes opinio tua.

Sermo tuus ad me perlatus.

Your talke came to my eares.

Tuus ad me ſermo per honeſtiſſimos perlatus eſt: tuum ad me ſermonem detulerunt homines honeſtiſſimi, mihi ſignificârunt, aperuerunt, narrârunt, ipſa

mihi verba tua exposuerunt:perlatus est,delatus,allatus est ad me tuus de me sermo.

Sermo inhonestus.

Unhonest talke.

Væ tibi,si turpiter aliquid dixeris,si minus honestè, si temerè,parum consideratè, non vt ratio præscribit, præter honestatem, contrà quàm conueniat, contrà quàm deceat, contrà quàm liceat, non vt conueniat, deceat, liceat, minus quàm conueniat, deceat, secùs quàm conueniat,deceat,liceat, aliter atq; conueniat, deceat, liceat, si quod ex ore tuo paulò turpius verbum exciderit,si oratio tua finibus excesserit ijs,quos honestum,quos ratio,quos modestia præscribit.

Sermones nostros diuitijs antefero.

I preferre our talke or conference before riches.

Omnes omnium diuitias cum nostris sermonibus non confero: pluris apud me sermones nostri, quàm omnes diuitiæ sunt: sordent apud me præ nostris sermonibus omnes diuitiæ: sit modò sermonum nostrorum copia,thesauros omnes contemno.

Seruabo promissa.

I will keepe my promisse.

Dabo operam,quod pollicitus sum, vt re præstem, exitu præstem,exequar, efficiã, re confirmem,vt præstem fidem meam, soluam fidem,tuear, seruem, probem, vt promissa seruem, obseruem, tuear, præstem, promissis ne desim, ne fides in promissis mea desideretur,vt fidei satisfaciam,ne de fide mea parum videar labo-

laborare, vt à meis verbis, ab affirmatione mea, à promisso exitus rei ne dissentiat: vt verba res confirmet, vt id, quod dixi, veritas probet, vt stem promissis, à promissis ne discedam: præstabo fidem meam, persoluam promissum, quæ pollicitus sum exitu præstabo, soluam fidem meam, tuebor fidem meam, seruabo promissa, fidem non fallam, fidei non decro, stabo promissis.

Seruata dignitas.

Keeping my honor or worship.

Sit modò dignitas incolumis, adimi de fortuna nō recuso, liceat modò dignitatem tueri, incolumem seruare, permaneat dignitas in eodē statu, modò ne cogar de statu meæ dignitatis demigrare, sit eadem dignitas, ne mutetur, ne diminuatur, ne lædatur, ne qua iniuria, damno, detrimento, afficiatur, ne quid iacturæ faciat, ne quam iacturam subeat, sustineat, ferat, patiatur, ne damni quid faciat, ne de dignitate detrahatur, adimatur, imminuatur.

Simulatio aliena à viro bono.

Dissembling must be farre from a good man, or honest men ought not to faine and dissemble.

Virum bonum simulatio non decet, non cadit in virum bonum simulatio, ab omni simulandi studio vir bonus longè abest: non decet simulare, figmenta non probantur: aliud sentire, & loqui, non eius est, qui vir bonus haberi velit: viri boni non est fingere: artem simulandi qui sequitur, bonorum in numero non est, bonorum numero excluditur, longè à bonorum consuetudine discedit.

Sine incommodo exploratus.

Tried without any losse.

Lætor, quòd mercede non ita magna, leui detrimẽto, non admodum graui damno, satis exigua iactura, quomodo sis erga me animatus, quo erga me animo sis, quo sensu sis, qui tuus in me sit animus, qui sit sensus, intellexi: tuum animum, tuum sensum intellexi, perspexi, cognoui, aperui, patefeci.

Singulare fatum.

A strange destenie.

Præcipua, propria, minimè communis mea fortuna est: singulari sum fato, longè alia conditione ego sum, ac cæteri: est mea conditio, mea fortuna, vt conferri mecum nemo possit, vt exemplum simile planè nullum extet.

Si per otium potero.

If I haue any leasure.

Si quid otij nactus ero, literas ad te dabo: si otium erit, si vacabo, si per occupationes licebit, si permittẽt curæ, si quid habebo vacui temporis, si quid erit spatij, si quod surripere spatium licebit, si quid ab occupationibus impetrare temporis licebit: nisi occupationes vrgebunt, si mei iuris ero, si qua hora meo arbitratu licebit vti, si negotijs vacabo: si vinculum illud occupationum, quo & assiduè astringor, & arctissimè, non dico prorsus exoluetur, sed paululum modò, paulisper, aliquantum, aliquantisper, nonnihil, aliqua ex parte laxabitur: si vacuus ero, curarum expers, liber à negotijs: si me ijs rebus, quibus nunc teneor implicatus, explicauero: si dabitur otiũ, si quies erit, si quiescere

cere licebit à curis, negotijs, occupationibus, molestijs.

Si potero tibi nauare operam, faciam.

If I can do you any pleasure, or I can stand you in any steede, I will do it.

Si accidet, vt operam nauare tibi possim, vt opera mea tibi vtilis esse, in rem tuam esse, è commodo tuo, ex vsu tuo esse possim, officio meo non deero, satisfaciam officio meo, officium meum præstabo, non cõmittam, vt officium meum desiderari possit, vt meæ partes requirantur, si cõtinget, si eueniet, si vsu veniet, si erit, si res, si tempus, si occasio feret, postulabit, poscet, exiget, requiret, si occasio se offeret, se dabit, se ostendet, offeretur, dabitur, ostẽdetur, si fortuna feret, occasionem attulerit, detulerit, præbuerit, ostẽderit, si tempus accidet, si mihi grata omnia ac libera essent, si essent omnia mihi solutissima.

Si videtur fieri posse.

If you thinke that it may be done.

Si tibi res facultatem videtur habitura, vt id, quod cogitas, consequi possis, si videris id posse consequi: si putas posse fieri: si euentum speras cum animo tuo congruentem, non alienum, non abhorrentem à tua voluntate.

Sollicitudo.

Carefulnesse, or thought taking.

Grauem curam suscepi, grauis me excepit cura, grauis in me incubuit sollicitudo, acerba mihi inuasit sollicitudo.

Soluendum pro altero.

To pay for an other.

Pro illo ſolues, illius promiſſa tu præſtabis: dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopondiſti: illius promiſſio, ſolutio tua erit. Vide, pro alio ſoluendum.

Specie capi.

To be taken with outwarde ſhew or beauty.

Specie capitur adoleſcentia, oblectatur, gaudet, lætatur: ſpeciem amant adoleſcentes.

Spe deiecti.

Paſt hope of that whiche before they ſurely truſted vpon.

Ex magna ſpe deturbati, deiecti, detruſi, depulſi iacent: ex alta ſpe deciderunt: ſpem illã quam ſuſceperant, abiecerunt, depoſuerunt, omiſerunt: ſpe non tenentur, vt antea, non paſcuntur, non aluntur: non eos quæ antea ſpes tenet, paſcit, alit: ſpes iam omnis abijt, diſceſſit, euanuit, nulla prorſus iam eſt: firma ſe niti ſpe putabant, ea quàm ſit imbecilla, nunc intelligunt.

Spe excidi.

I was deceyued.

Spes me fefellit, opinione ſum deceptus, falſa me ſpes aluit, falſa lactauit opinio.

Spes bonæ famæ.

Hope of a good name.

Si tuam conſuetudinem tueberis, ſi, vt inſtituiſti, perges, optima conſequetur fama, hominum exiſtimatio,

bum, & Oppium ſcripſiſſe vt ita faceret, homines (vt cognoui) amanteis tui. Hoc ego iccirco noſſe te volui, vt ſcires, hoſpitium tibi vbi parares, vel potius vtrobiq; quid enim ille facturus, incertum eſt: & ſimul [3] oſtentaui tibi, me iſtis eſſe familiaré, & conſilijs eorũ intereſſe. Quod ego cur nolim nihil video. NON enim eſt idem ferre, ſiquid ferendum eſt: & probare, ſiquid probandum non eſt. Etſi quid non probem equidem neſcio, præter initia rerum: nam hæc in voluntate fuerunt. vide enim (nam tu aberas) noſtros amicos [4] cupere bellum, hunc autem non tam cupere, quàm non timere. Ergo hæc conſilij fuerunt, reliqua neceſſaria. vincere autẽ aut hos, aut illos, neceſſe eſt, Scio te ſemper mecũ in luctu fuiſſe, cùm videremus, cùm illud ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu: tum verò, extremum malorum omnium eſſe ciuilis belli victoriam: quàm quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. [5] crudeliter enim otioſis minabantur: eratq; ijs & tua inuiſa voluntas, & mea oratio. Nunc verò ſi eſſent noſtri [6] potiti, valde intemperantes fuiſſent. erant enim nobis perirati, quaſi quicquam de noſtra ſalute decreuiſſemus, quod non idem illis cenſuiſſemus: aut quaſi vtilius reip. fuerit, eos etiam ad [7] beſtiarum auxilium confugere, quàm vel mori, vel cum ſpe ſi non optima, at aliqua tamen viuere. At in perturbata rep. viuimus. quis negat? ſed hæc viderint ij, qui nulla ſibi ſubſidia ad omneis vitæ ſtatus parauerunt. huc enim vt venirem, ſuperior longius, quàm volui, fluxit oratio. cùm enim te ſemper magnum hominem duxi, tũ, quòd his tempeſtatibus es propè ſolus in portu, [8] fructuſq; doctrinæ percipis eos, qui maximi ſunt, vt ea conſideres, eaq; tractes, quorum & vſus & delectatio eſt omnibus [9] iſtorum & actis, & voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tuſculanenſes dies in-

3 Cum ſcripſerim tibi, quid mihi Hirtius dixerit: qua fuit quaſi oſtentatio quadã familiaritatis cũ Hirtio.

4 Epiſt. 1. & 14. lib. 4. & 21. lib. 6.

5 Ep. 14. lib. 4. & vlt. lib. 8. & ad Att. ep. 6. lib. 11. & Caſ. lib. 1. de bel. ci.

6 In Africa.

7 Ad Iuba regis elephantes.

8 Epiſt. 1.

9 Cæſarianorum qui ob victoriam lætiſſimi ſunt.

ſtar eſſe vitæ puto: libenterque omnibus omneis opes conceſſerim, vt mihi liceat vi nulla interpellante, iſto modo viuere. Quod nos quoque imitamur, vt poſſumus, & in noſtris ſtudijs libentiſſimè conquieſcimus. QVIS enim hoc non dederit nobis, vt, cum opera noſtra patria ſiue non poſſit vti, ſiue nolit, ad eam vitam reuertamur, quàm multi docti homines, fortaſſe non rectè, ſed tamen multi, etiam reipub. præponendam putauerunt? Quæ igitur ſtudia magnorum hominum ſententia vacationem habent [10] etiam publici muneris, ijs concedente repub. cur non abutamur? Sed plus facio, quàm Caninius mandauit. is enim, ſiquid ego ſcirem, rogarat, quod tu neſcires: ego tibi ea narro, quæ tu melius ſcis quàm ipſe qui narro. Faciam ergo illud quod rogatus ſum, vt eorum, quæ temporis huius ſint, quæ tua intereſſe audiero, nequid ignores. Vale.

10 Etiam cum reſp. non concedere videtur: cũ ſcilicet, rebus ſalvis, quæ nunc perditæ ſunt, officium atque operam à ciuibus exigit.

ARGVMENTVM.

Ait iam maturum eſſe, vt ab vrbe diſcedat: & de reditu Cæſaris ex Africano bello rumores quoſdam nuntiat.

CICERO VARRONI S. D. 7

COENABAM apud Seiũ, cùm vtrique noſtrûm redditæ ſunt à te litteræ. Mihi verò iam maturũ videtur. Nam quòd antea [1] te calumniatus ſum, indicabo malitiam meam, volebam propè alicubi eſſe, ſi quid bonæ ſalutis σύντι δὺ ἐρχομένια. Nunc quando confecta ſunt omnia, dubitãdum non eſt, quin equis, velis. nam vt audiui de [2] Lucio Cæſare F. mecum ipſe, Quid hic mihi faciet [3] patri? Itaque non deſino apud iſtos, qui nunc dominantur, cænitare. Quid faciam? tempori ſeruiendum eſt. Sed ridicula miſſa faciamus, præſertim cùm ſit nihil, quod rideamus: Africa terribili tremit horrida terra, tumultu. Itaque nullum eſt ἀπροσδόκητον, quod non verear. Sed quod quæris,

1 Te videtur abundare.

2 A Cæſare occiſo. Suet.

3 Ex Andria Terentij.

quæris, quando, quà, quò: nihil adhuc ſcimus. iſtuc ipſum de Baijs: nonnulli dubitant, an per Serdiniam veniat illud enim adhuc [4]prædium ſuum non inſpexit, nec vllum habet deterius, ſed tamen non contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam vel iam ſciemus. aduentat eum Dolabella. eum puto [5] magiſtrum fore. πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, ſed tamen ſi ſciam quid tu cõſtitueris, meum cõſilium accommodabo potiſſimùm ad tuum. quare exſpecto tuas litteras. Vale.

4 Quaſi prouincia populi R. Cæſaris eſſent prædia. deterius, autem dixit ob cæli peſtilentiam ad Q. fra.

5 Is nos docebit: cum nos eum in litteris ſoleamus

ARGVMENTVM.

Promiſerat Varro, quoſdam libros ſe eſſe in Ciceronis nomine editurum: Cicero nunc admonet eum promiſsi, miſsis quaſi admonitoribus quatuor libris Academicis, quos Varroni dicauit.

CICERO VARRONI S. D. 8

ETSI munus flagitare, quamuis quis [1] oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego exſpectatione [2] promiſſi tui moueor, vt admoneam te, non vt flagitem. Miſi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. nôſti enim profecto os huius adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui metuo ne te fortè flagitent: ego autem mandaui, vt rogarent. exſpectabam omnino iamdiu meq; ſuſtinebam, ne ad te prius ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, vt poſſem te remunerari quàm ſimilimo munere. Sed cùm tu id tardius faceres, id eſt, vt ego interpretor, diligentius: teneri non potui, quin coniunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri quo poſſem, litterarum genere, declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cùm eſſet vnà Pomponius. tibi dedi parteis Antiochinas, quas à te probari intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumſi [3] Philonis. puto fore, vt, cùm legeris, mirere, id nos locutos eſſe inter nos, quòd nunquã locuti ſumus: ſed nôſti morẽ dialogorũ. Poſthac

1 Significauerit ſe daturum ep. 3. lib. 2.

2 Fortè libros intelligit de lingua latina, quos poſtea ad Ciceronem miſit.

3 Epiſt. 1. lib. 13. & Tuſc. 2.

autem, mi Varro, quamplurima, si videbitur, & de nobis, & inter nos: serò fortasse: sed [4] superiorum temporum, fortuna reipub. caussam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus. Atq; vtinam quietis temporibus, atque aliquo si non bono, at saltem certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. quanquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honestas nobis & curas & actiones darent. Nunc autem quid est, sine his cur viuere velimus? mihi vero cum his ipsis vix, his autem detractis ne vix [5] quidem, sed hæc coram, & sæpius. Migrationem & emtionem tibi feliciter euenire volo, tuumq; in ea re consilium probo. Cura vt valeas.

Quod ante hac ...nus scripsimus ...um temporũ ...ssam resp. sumere debet: hac ...tem tempora ...æstare ipsi de... ...mus, quoniam ...tium coceditur.

Sic locutus li. .de fin.

ARGVMENTVM.

Suadet Dolabella gener Ciceroni, vt aut Cæsaris partes sequatur, aut in aliquam ciuitatem à bello vacuam se recipiat. quod idem Cælius fecerat. vide epist. 16. lib. 8.

DOLABELLA CICERONI. S. D. 9

Si vales, gaudeo: ego valeo, & Tullia nostra rectè valet. [1] Terentia minus bellè habuit: sed certum scio iam conualuisse eam. Præterea rectissimè sunt apud te omnia. Si nullo tempore in suspicioné tibi debui venire, partium causa potius quàm tua, tibi suadere, vt te, aut cum Cæsare, nobiscumque coniungeres, aut certè in ocium referres: præcipuè nunc iam [2] inclinata victoria, ne possum quidem in vllam aliam incidere opinionem, nisi in eam, in qua scilicet tua de re tibi suadere videar, quod [3] piè tacere non possum. Tu autem, mi Cicero, sic hæc accipies, vt siue probabuntur tibi, siue non probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditissimo tibi & cogitata & scripta esse iudices. Animaduertis, Cn. Pompeium nec nominis sui, nec [4] rerum gestarum gloria, nec etiam regum, aut nationum clientelis, quas ostentare crebrò solebat, esse tutum: & hoc etiam, quod infimo cui-

1 Quam vixisse annos CVIII. Plin. narrat.

2 Iam Pompeius Italiam, Hispaniasque amiserat, infra hac ipsa epistola.

3 Pro nostra affinitate.

4 Vnde Magni cognomẽ assumserat.

cuique contigit, illi non posse contingere, vt honestè effugere possit, pulso Italia, amissis Hispanijs, [5] capto exercitu veterano, [6] circũuallato nunc denique: quod nescio an vlli vnquam nostro acciderit imperatori. Quamobrem quid aut ille sperare possit, aut tu, animum aduerte pro tua prudentia. sic enim facillimè, quod tibi vtilissimum erit, consilij capies. Illud [7] autem à te peto, vt, si iam ille vitauerit hoc periculum, & se abdiderit in classem, tu tuis rebus consulas, & aliquando tibi potius, quàm cuiuis sis amicus. [8] satisfactum est iam à te vel officio, vel familiaritati: satisfactum etiam partibus, & ei reipub. quam tu probabas. Reliquum est, vbi nunc est respub. ibi simus potius, quàm, dũ illam veterem sequimur, simus in nulla. Quare velim mi iucundissime Cicero, si fortè Põpeius pulsus his quoque [9] locis, rursus alias regiones petere cogatur, vt tu te vel Athenas, vel in quamuis quietam recipias ciuitatem. quod si eris facturus, velim mihi scribas: vt ego, si vllo modo potero, ad te aduolem. quæcunque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamẽ præces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. erit tuæ quoque fidei & humanitatis, curare, vt is tabellarius, quem ad te misi, reuerti possit ad me, & à te mihi litteras referat. Vale.

5 In Hispania.
6 Ad Dyrrhachium.
7 Ab vtili.
8 Ab honesto ... Virgil. Sat patriæ, Priamóque datum.
9 Dyrrachij Põpeius obsidebatur.

ARGVMENTVM.

Quasi per iocum scribit, inter Niciam & Vidium se iudicem esse constitutum: & item per iocum de P. Sylla morte quiddam scribit.

CICERO. DOLABELLAE S. D. 10

NON sum ausus [1] Saluio nostro nihil ad te litterarum dare: nec mehercule habebam quid scriberem, nisi te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil scribente me, te nõ dubitare certò scio. omnino

1 Liberto.

mihi magis litteræ sunt exspectandæ à te, quàm à me tibi. nihil enim Romæ geritur, quod te putẽ scire curare: nisi fortè scire vis, me inter Niciam nostrum,& Vidium, iudicem esse. profert alter (vt opinor) duobus versiculis exspensum[2] Niciæ: alter Aristarcus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum, vtrùm sint τοῦ ποιητοῦ an παρεμβεβλημένοι. Puto te nunc dicere, Oblitùsne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium Gallinarum cum Sophia[3] Septimiæ? quid ergo? an, adeo mihi excussam seueritatem veterem putas, vt ne in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant? sed tamen suauissimum συμβιώτην nostrum præstabo integellum: nec committam, vt si ego eum condemnaro, tu[4] restituas, ne habeat Plancus Bursa, apud quem litteras discat. Sed quid ago? cum mihi sit incertũm, tranquillóne sis animo, an, vt in bello, in aliqua maiuscula cura, negotióue[5] verseré, lâbor longius. Cùm igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. te tamen hoc scire volo, vehementer populũ sollicitum fuisse[6] de P. Syllæ morte ante, quàm certum scierit. nunc quærere desierunt, quomodo perierit. satis putant se scire, quod sciunt. Ego ceteró qui animo æquo fero. vnum vereor, ne[7] hasta Cæsaris refrixerit. Vale.

2 Hic est Curtius Nicias grãmaticus. de quo Suet. in lib. de claris grammaticis.

3 Subaudi, filia. mulieres interdũ ab ordine nascendi appellabantur.

4 Alludit ad eos quos lege Pompeia damnatos Cæsar restituerat.

5 In bello Hispaniensi.

6 Epi. 17. lib. 15.

7 Præfuerat Sylla vendendis in auctione proscriptorum ciuium bonis.

ARGVMENTVM.

Deplorat Tulliolæ mortem: & in Dolabellæ sermonibus plurimum sibi ait solatij futurum: quanquam iam eam Dolabella dimiserat: sed fingendum erat Ciceroni, temporis caussa, cum Dolabella apud Cæsarem dominantem gratia plurimum valeret.

CICERO DOLABELLAE SVO S. D. 11

VEL meo ipsius interitu mallem litteras meas desiderares, quàm eo casu, quo sum grauissimè afflictus. quem ferrem certè moderatius, si te haberem. nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis

ris multùm leuaret. sed quoniam [1] breui tempore, vt opinio nostra est, te sum visurus: ita me affectum offendes, vt multum à te possim iuuari: non quod ita sim fractus, vt aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen [2] hilaritas illa nostra, & suauitas, quæ te præter ceteros delectabat, erepta mihi omnis est. firmitatem tamen, & [3] constantiam, si modo fuit aliquando in nobis, eandē cognosces, quam reliquisti. Quod scribis, prœlia te mea caussa sustinere: non tam id laboro, vt, si qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. quod vt facias, te etiam atque etiam rogo, ignoscasq; breuitati mearum litterarum. nam & celeriter vnà futuros nos arbitror, & nondum satis confirmatus sum ad scribendum. Vale.

1 Iam n. Hispaniensis belli, cui Dolabella intererat, exitus expectabatur.

2 Ad Att. ep. 39 lib. 12.

3 Viro dignam, quam tamen videtur amisisse vt ex epist. ad Att. licet coniicere.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Dolabellæ de Baiarum salubritate: & orationem pro Deiotaro rege ad Cæsarem habitam mittit.

CICERO DOLABELLAE S. D. 12

GRATVLOR [1] Baijs nostris, siquidem vt scribis, salubres repentè factæ sunt. nisi fortè te amāt, & tibi assentantur, & tamdiu, dum tu ades sunt oblitæ sui. quod quidem si ita est, minimè miror, cœlum etiam & terras vim suam, si tibi ita conueniat, dimittere [2] Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putâram. Itaque eam tibi misi, velim sic legas, vt caussam tenuem & inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed ego hospiti veteri & amico munusculum [3] mittere volui leuidense, crasso filo, [4] cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti fortiq; sis, vt tua moderatio & grauitas, aliorum infamet iniuriam. Vale.

1 Quo se valetudinis caussa conferebant. ep. 14.

2 Quæ extat.

3 Sic in antiquis libris: vt subaudiatur, volui.

4 Nec enim benignus erat Deiotarus. vide ep. 12. lib. 2.

ARGVMENTVM.

Rogat Dolabellam, vt Suberino & Planio reditum in patriam conficiat: eosque ita excusat, vt ostendat casu quodam & necessitate coactos Pompeij partes in Hispania fouisse.

CICERO DOLABELLAE S. D. 13

C. SVBERINVS Calenus & meus est familiaris, & Leptę [1] nostri familiarissimi pernecessarius. Is cùm vitãdi belli caussa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, vt in ea prouincia esset, in qua nemo nostrûm post Afranium superatũ, bellum vllum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quæ summo studio vitauerat, oppressus est enim bello repentino. quod bellum commotum à [2] Scapula, ita postea confirmatum est à Pompeio, vt nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem caussa ferè est M. Planij hæredis, qui est item Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. Hosce igitur ambos sic tibi commendo, vt maiore [3] cura, studio, sollicitudine animi commendare non possim, volo ipsorum caussa: méque in eo vehementer & amicitia mouet, & humanitas. Lepta verò cum ita laboret, vt eius fortunæ videantur in discrimen venire: non possum ego non aut proximè, atque ille, aut etiam æquè laborare. Quapropter etsi sæpè expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maximè iudicaturum. Peto igitur à te, vel, si [4] pateris, oro, vt homines miseros, & fortuna, quam vitare nemo potest, magis, quam culpa, calamitosos, conserues incolumeis: velisque per te me hoc muneris cùm ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quicum mihi magnanecessitudo est, tum Leptæ, quem omnibus antepono dare. quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed ramen nihil obest dicere. Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix [5] equestris. Quapropter

[1] Lepta fuerat ...um Cicerone ...ræfectus fabrum ...n prouincia. ep. ... lib. 3.

[2] T. Quinctio Scapula de hoc ...ello. vide Dionem. lib. 43.

[3] Obserua hæc ...ria verba: qui...us singulis vis ...etitionis augetur.

[4] Non enim hoc ...ati videtur a...or in me tuus. ...ide in fine ep. ... lib. I.

[5] Ad quadrin...nta igitur mil...a eius sensus ...ueniebat.

ter

ter quando his Cæsar vitam sua liberalitate cõcessit, nec est quod ijs præterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantum amas, quantùm certè amas, hominibus confice, in quo nihil est, præter viam longam. quam iccirco non fugiunt, vt & viuant cum suis, & moriantur domi. quod vt enitare, contendásque, vel potius vt perficias ([6] posse enim te mihi persuasi) vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

6 Erat enim apud Cæsarem gratiosissimus Dolabella.

ARGVMENTVM.

Dolabellam laudibus extollit, quia columnã, in foro Cæsari, quasi Deo, erectam, euerterat. vide lib xiv. ad Atticum, & Lactantiũ lib. I. cap. 15.

CICERO. DOLABELLAE COS S. D. 14

ETsi contentus eram mi Dolabella, tua gloria, satisq́ue ex ea magnam lætitiam, voluptatémque capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgò, hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus neminem conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis caussa in hæc [2] loca veniant. Præterea ex municipijs frequentes necessarij mei) quin omnes, cùm te summis laudibus ad cœlum [3] extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis & cõsilijs obtẽperans, præstantissimum te ciuẽ, & singularem [4] consulem præbeas. Quibus ego quanquam verissimè possum respondere, te, quæ facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque plane assentior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis consilijs profecta videatur: neque valde nego. sum enim auidior etiam, quàm satis est, gloriæ. Est tamen non alienum à dignitate tua, quod ipsi [5] Agamemnoni regum regi

1 Non erat amplius Ciceronis gener, diuortium enim fecerat cum Tullia. li. II. ep. ad Att.

2 Ad Baias ep. 12.

3 Ob euersam à te columnam, atq; aram ep. 2. li. II. & I. li. 12.

4 Erat enim consul Dolabella cũ Antonio.

Homerus Il. l. 2.

fuit honestum, habere aliquem in consilijs capiundis Nestorem: mihi verò gloriosum, te iuuenem consulē florere laudibus, quasi [6] alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cùm ad eum ægrotum [7] Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen antè quàm me planè salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantùm vales apud Dolabellam, quantùm si ego apud sororis [8] filium valerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ verò tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem post te consulē, solum possumus verè consulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum vnquam, nihil reip. [9] salutarius. atque hæc vna vox omnium est. A te autem peto, vt me hanc quasi falsam hæreditatē alienæ gloriæ sinas [10] cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. quanquam, mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omneis meas, si modò sunt aliquæ meæ laudes, ad te [11] transfuderim, quàm aliquam partē exhauserim ex tuis. nam cùm te semper tantùm dilexerim, quantùm tu intelligere potuisti: tum tuis his factis sic incensus sum, vt nihil vnquam in amore fuerit ardentius. NIHIL est enim (mihi crede) virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amaui, vt scis, M. Brutum propter eius summum ingenium, suauissimos mores, singularem probitatem atque constantiam. tamen [12] Idib. Martijs tantum accessit ad amorem, vt mirarer. locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum esse videbatur. quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebâm, posse aliquid accedere? tantùm accessit, vt mihi nunc denique amare videar, antea [13] dilexisse. Quare quid est quòd ego te horter, vt dignitati & gloriæ seruias?

6 Discipulū suum vocat. ep. vlt. l. 8. & 7. & 9. huius lib.

7 Ad At. ep. 17. lib. 14.

8 M. Antoniū, collegā Dolabellæ in consulatu: cuius mater L. Cæsarem fratrē suum proscriptū postea seruauit.

9 App lib. 4 de bel. ci. vide ep. 1. lib. 12.

10 i. adire, vt locutus est sæpe cū ad Atticum scriberet.

11 Vide translatū trāslato redditū, sunt enim antitheta translata, transfundere & exhaurire.

12 Quo die Cæsarē Brutus occidit ep. 8. li. 10.

13 Diligere leuius est, quam amare in epist. 1 ad M. Brutum, Clodius inquit, valde me diligit, vel, vt, ἐμφατικώτερον valde me amat, & ep. 9. lib. 3.

seruias? proponam tibi claros viros, quod facere solent qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm te ipsum. te imitere oportet: tecum ipse certes, Ne licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. quod cùm ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis vtendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, vt summa [14] seueritas animaduersionis non modò non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cùm bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij atque consilij. legi enim concionem tuam. nihil illa sapientius: ita pedetentim & gradatim tum accessus à te ad caussam facti, tum recessus, [15] vt res ipsa maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur & vrbem periculo, & ciuitatem metu: neque solùm ad tempus maximam vtilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. quo facto intelligere debes, in te repositam esse remp. tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos viros, à quibus [16] initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, vt spero. Tu quando remp. nosque conseruas, fac vt diligentissimè te ipsum, mi Dolabella, custodias. Vale.

14 Populo n gratior clementia, quam seueritas. ad Att. lib. 10. ep. 4.

15 Vt per omnes liceret tibi quàm primum animaduertere in eos, qui columnam erexerant.

16 Quasi dicat, reliqua à te exspectantur.

ARGVMENTVM.

Duabus Pæti epistolis respondet, priore hoc, iure se eius valetudine perturbatum, cuius & amorem in se, & ingenij festiuitatem plurimi faciat: posteriori, nihil referre, vtrum Romæ sit, an Neapoli, cum Romæ vnius nutu omnia regantur: itaque se manere in sententia de domo Neapoli emenda, dicit.

CICERO PAETO S. 15

DVABVS tuis epistolis respondebo: vni, quàm triduo antè acceperam à [1] Zetho: alteri, quam

1 Seruorum nomina.

attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis litteris intellexi pergratam tibi esse sententiam meam, & curam valetudinis tuæ, animumq; erga te meum: quem tibi perspectum esse gaudeo: sed mihi crede, non perinde, vt est [2] reapse ex litteris perspicere potuisti. nam cum à satis multis (non enim possum aliter dicere) & coli me videam, & diligi, nemo est illorum omnium mihi te iucundior. nam quòd me amas, quòd id & iampridem, & constanter facis, est id quidem magnum, atque haud scio, an maximum: sed tibi commune cum multis, quòd tu ipse tam amandus es, tamque dulcis, atque in omni genere iucundus, id est propriè tuum. Accedunt non Attici, sed salsiores, quàm illi Atticorum, Romani veteres, atque vrbani sales. Ego autem (existimes licet quòd lubet) mirificè capior facetijs, maximè nostratibus, præsertim cùm eas videam primùm [3] oblitas Latio tum, cùm in vrbem nostram est infusa peregrinitas: nunc verò etiam brachatis & [4] transalpinis nationibus, vt nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque te cùm video, omneis mihi Granios, omneis Lucillios, & verè vt dicam, Crassos quoque & [5] Lælios videre videor. Moriar, si præter te quenquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquæ, & vernaculæ festiuitatis agnoscere. Ad hos lepores cùm amor erga me tantus accedat, miraris, me tanta perturbatione valetudinis tuæ tam grauiter exanimatum fuisse? Quòd autem altera epistola purgas te, nõ dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse, sed auctorem commorationis vrbanæ: [6] neque ego aliter accepi: intellexi tamen idem, quod his intelligo litteris, non existimasse te mihi licere id, quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed [7] magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora. quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc place-

2 Pro re ipsa lib. 2. de diuin. li. 5. de Fin. Eodem modo Pacunius & Afri. minor locuti sunt. Festus: & Seneca. l. 19. epist.

3 Inquinatas.

4 Hoc dicit, quia Cæsar multos ex Gallia transalpina ciuitate donarat.

5 Lælio tribuit. 1. off. vultus hilaritatem, in l. de claris or. sermonis elegãtiam. miror cur de C. Cæsare, Catuli fratre nõ meminerit, qui facetijs omneis vicit. l. 1. off. bis, & lib. 2. de orat.

6 Ep. 4. ad Atti.

7 Pro ex maiori parte, sic ep. 6. li. 7. Acad. 2. Tus. 4. Ter. in Eu. & Cæs. Magnã partẽ lacte viuunt.

placebat diutius abesse ab reip. custodia. sedebamus enim in puppi, clauumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. An minus multa S. C. futura putas, si ego sim Neapoli? Romæ cùm sum, & vrgeo forum, S. C. scribuntur apud [9] amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem, cùm in [10] mentem venit, ponor affuisse scribendo: & antè audio. S. C. in Armeniam & Syriam esse perlatum, quod in meam sententiam factum esse dicatur, quàm omnino mentionem vllam de ea re esse factam. Atque hoc nolim me iocari putes. nam mihi scito iam à regibus vltimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant, quòd se mea sententia reges appellauerim: quos ego nō modò reges appellatos, sed omnino natos nesciebam. Quid ergo est? tamen quandiu hîc erit noster hic præfectus [11] moribus, parebo auctoritati tuæ: cùm verò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum si habebo: in denos, singulos sumtuariæ legis conferam: sin minus inuenero quod placeat, decreui habitare apud te. scio enim, me nihil gratius tibi facere posse. Domum Sullanam desperabam iam, vt tibi proximè scripsi: sed tamen non [12] abieci. Tu velim, vt scribis, cùm fabris eam perspicias. si enim nihil est in parietibus, aut in tecto vitij, cetera mihi probabuntur. Vale.

9 Epi. 25.

10 Cum ipsi Cæsari in mentem venit, ponit in senatus consulto, me affuisse scribendo.

11 Loquitur de Cæsare, quem senatus morib⁹ per triennium præfecerat Dio. l. 43.

12 Sic, abijcere ædificationem ep. lib. 15.

ARGVMENTVM.

Ostendit, primum nihil à se prætermissum, vt Cæsarianorum sibi beneuolentiam conciliaret: deinde, neq; boni ciuis, neq; sapientis hominis officium in se desiderari posse. postremo, ad Papirij iocationes respondet.

M. CICERO PAPIRIO PAETO S. D. 16.

DELECTAVERVNT me litteræ tuæ: in quibus primùm [1] amaui amorē tuū qui te ad scribēdum

1 Sic, dolere dolorem: gaudere gaudium, epist. 2. lib. 7. & li. 8.

incitauit, verentem ne Silius suo nuntio aliquid mihi sollicitudinis attulisset: de quo & tu mihi antea scripseras, bis quidem eodem exemplo, facilè vt intelligerem, te esse commotum: & ego tibi accuratè rescripseram, vt quoquo modo in tali rè, atque tempore, aut liberarem te ista cura, aut certè leuarem, Sed quando proximis quoque litteris [2] ostendis, quãtæ tibi curæ sit ea res: sic mi Pæte habeto, quicquid arte fieri potuerit (non enim iam satis est consilio pugnare: artificium quoddam excogitandum est) sed tamen quicquid elaborari aut effici potuerit ad istorum beneuolentiam conciliandam, & colligendam, summo studio me consecutum esse: nec frustrà, vt arbitror. sic enim color, sic obseruor ab omnibus ijs, qui à Cæsare diliguntur, vt ab eis me amari [3] putem. Nam, etsi NON FACILE dijudicatur amor verus, & fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, vt quasi aurum igne, sic beneuolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, cetera sunt signa communia: tamen ego vno vtor argumento, quamobrem me ex animo, vereque arbitrer diligi, quòd & nostra fortuna ea est, & illorum, vt simulandi caussa non sit. De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam, nisi quòd omnia sunt incerta, cùm à iure discessum est: nec præstari quicquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen eius ipsius nulla re à me offensus est animus. est enim adhibita in ea re ipsa summa à nobis moderatio. vt enim olim arbitrabar esse meum, liberè loqui, [4] cuius opera esset in ciuitate libertas: sic ea nunc amissa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem si vellem nonnullorum acutè, aut facetè dictorum [5] offensionem, fama ingenij mihi est

2 Verebatur Pætus, ne quem ex Cæsarianis Cicero offenderet.

3 Potest enim aliquis coli, nec amari.

4 Ob Catilinæ coniurationẽ oppressam.

5 Quod incurreret in ea vel sine industria.

hi est abijcienda. quod si possem, non recusarem. Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium: & vt Seruius frater tuus, quem litteratissimum fuisse iudico, facilè diceret. hic versus Plauti non est: hic est, quòd tritas haberet aureis [6] notandis generibus poetarum, & consuetudine legendi: sic audio, Cæsarem, cùm volumina iam confecerit ἀποφθεγμάτων, vel per se, siquid afferatur ad eum, pro meo, quod meum non sit, reijcere solere. quod eo nunc magis facit, quia viuunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autem in sermone vario multa, quæ fortasse illis, cùm dixi, nec illitterata, nec insulsa esse videantur. Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur. ita enim ipse mandauit. sic fit, vt siquid præterea de me audiat, non audiēdum putet. Quamobrem [7] OEnomao tuo nihil vtor: etsi posuisti ioco versus Attianos. sed quæ est inuidia? aut quid nunc mihi inuideri potest? Verùm fac esse omnia: sic video philosophis placuisse, ijs, qui mihi soli videntur vim virtutis tenere: NIHIL esse sapientis [8] præstare, nisi culpam qua videor mihi dupliciter carere, & quòd ea senserim quæ rectissima fuerunt: & quod, cùm viderem præsidij non satis esse ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni ciuis, certè non sum reprehendendus. Reliquum est, [9] nequid stultè, nequid temerè dicam, faciámue contra potenteis. id quoq; puto esse sapientis. Cætera verò, quid quisque me dixisse dicat, aut quomodo ille accipiat, aut qua fide mecum viuant ij, qui me assiduè colunt & obseruant, [10] præstare non possum. Ita fit, vt & superiorum consiliorum conscientia, & præsentis temporis moderatione me consoler: & illam Attij similitudinem non modò iam ad inuidiam, sed ad fortunam transferam: quam existimo * leuem, & imbecillam ab animo firmo, & graui, tanquam

6 Et quia attētè legerat & quia multum.

7 Attij tragœdia cuius versus in epist. sua Papirius recitarat.

8 Efficere, vt nō sit, cauere, vitare. nam, culpa quidem vt vitetur, in nobis est.

9 Quod est officium sapientis.

10 Multis N. quasi inuolucris obtēditur cuiusq; natura.

** Antitheta, leue, & graue, imbecillu, & firmū: quibus exornatur oratio.*

fluctū à ſaxo frangi oportere. Etenim cum plena ſint monumenta Græcorum, quemadmodum ſapientiſſimi viri regna tulerint vel Athenis, vel Syracuſis, cum ſeruientibus ſuis ciuitatibus, fuerint ipſi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, vt neque offendam animum cuiuſquam, nec frangam dignitatem meam? nunc venio ad iocationes tuas quando tu ſecundum OEnomanum [11] Attij, non vt olim ſolebat, * Atellanum, ſed, vt nunc fit, Mimum introduxiſti, quem tu mihi [12] pompilium, quem denarium narras? quam tyrotharici patinam? facilitate mea iſta ferebantur antea: nunc mutata res eſt. Hirtium ego & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cenandi magiſtros. puto enim te audiſſe (ſi forte ad vos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. Tu autem quòd mihi bonam copiam eiures, nihil eſt. tum enim cùm rem augebas, quæſtiunculis te faciam [13] attentiorem: nunc cùm tam æquo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, vt cùm me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere. Etiam hæc leuior eſt plaga ab amico, quàm à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro, vt magnæ reliquiæ fiant. quod erit, magnificum ſit, & lautum. Memini, te mihi [14] Phameæ cenam narrare. temperius fiat: cetera eodem modo. Quod ſi perſeueras me ad matris tuæ cœnam reuocare, feram id quoque. volo enim videre animum qui mihi audeat iſta, quæ ſcribis, apponere: aut etiam polypum minitati Iouis ſimilem. Crede mihi, non audebis. ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia veniet: eam extimeſces. Neque eſt, quòd in promulſide ſpei ponas aliquid, quam totam ſuſtuli. ſolebam enim antea [15] delectari oleis & lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modò iſtò venire. Tu verò (volo enim abſtergere animi tui metum) ad

11 Donatus in vita Terentij, & Liu li. 7.

12 Et popillū, & polyppum, eſt in antiquis libris. De polypo quidē paullo infra.

13 Attentus dicitur hoc loco ad rē conſeruandam: vnde illud Horatij epiſt. 7. Durus ait, Vultei nimis attentusq́; videris.

14 Puto eſſe Tigellij cātoris auū de quo epiſt. 24. lib. 7.

15 Sic in duobus libris Sigonij.

Turpe à parente diſſentire.

It is a ſhame to diſcent from thy father.

Honeſtè à parente tuo diſſentire non potes:turpe tibi eſt à parente diſſentire,non potes à patre ſine infamia,ſine dedecore, ſine graui culpa, ſine turpi nota diſſentire.

Turpe eſt,ſibi tantùm viuere.

It is a ſhame for one to liue ſo,that he will do no man good but himſelfe.

Scipſum curare,nihil prætera, de ſeipſo tantum, ſua tantùm vnius cauſa laborare,ſibi vni ſtudere, ſeruire,proſpicere,conſulere,præterea nemini, turpiſſimum eſt,maximè dedecet, indecorum in primis eſt, infamiæ,ignominiæ,dedecori eſt,dedecus affert,infamiam parit,turpem famam, opinione minimè commodam,aut optabilem parit: eiuſmodi res eſt,quam ſumma conſequitur infamia, ignominia, turpis infamiæ nota,dedecus,accuſatio,reprehenſio: fraudi eſt, vitio vertitur,tribuitur,datur,adſcribitur, aſſignatur.

Turpe parentes ſenes deſerere.

It is a ſhame to forſake thy aged parentes.

Deſeri à te, deſtitui patrem, tot affectum incommodis,inopiæ,valetudinis, ſenectutis, minimè honeſtum eſt,haud æquum eſt,haud par eſt,minimè rationi conſentaneum eſt, non decet, non conuenit, non oportet,ius non eſt,fas non eſt,nefas eſt,iniquum eſt, flagitium eſt,criminis eſt,turpe eſt:vt parentem deſeras,afflictum inopia,morbo,ſenectute,in ſummis cõſtitutum difficultatibus,inopiæ, valetudinis, ſenectutis,honeſtum non fert,non patitur: ratio non conce-

dit,non permittit: ſi patrem deſtitues, culpam committes,flagitiũ facies, flagitioſè facies,iniquè,iniuſtè, inhoneſtè,turpiter,improbè,præter honeſtum,contra honeſtum:æquum,ius: non, vt honeſtum ſuadet, non vt æquum eſt,ius eſt,par eſt,decet,conuenit.

Vacare aliquantum à ſtudijs.

To take ſome breathing time from your booke, it is good ſometime to haue ſome refreſhing, paſtime, or recreation after ſtudie.

Feriari licet à ſtudijs:poſtulat tempus,vt ſtudia intermittantur,tempus fert vt ſtudiorum vſus parumper dimittatur: deponere aliquantiſper ſtudiorum onus licet, omittere ſtudia, leuare animum onere ſtudiorum:vacatio datur à ſtudijs:auocare animum à ſtudijs honeſtè poſſumus: feriæ ſtudiorum conceduntur.

Valet apud intelligentes ſentẽtia tua.

Wiſe men allowe your iudgement.

Magnum apud eos,qui rectè iudicant, tua ſentẽtia pondus habet,magni fit,magni æſtimatur,magni pẽditur,auctoritatis habet plurimum,grauiſſima eſt: rectè ſcientes in opinione ac iudicio tuo plurimum ponunt, opinioni tuæ multum tribuunt, multùm deferunt,facilè aſſentiuntur,acquieſcunt. Vide,Sententia à prudentibus approbata.

Valetudine vtor bona.

I am in good health.

Benè me habeo,mihi benè eſt, ſatis commode,ſatis bellè habeo,benè valeo,commodè valeo, valetudine

dine bona vtor, mihi eſt, vt volo: quales cupio, vires poſſideo: viribus vtor firmis: roboris, virium, valetudinis habeo ſatis.

Valetudo reſtituta.

Health reſtored or recouered after ſicknes.

Ego te languentem, iacentem, malè affectũ, ad priſtinam valetudinem, virtutemque reuocaui: meo beneficio priſtinas vires recuperaſti, recepiſti, confirmatus es: factum eſt à me, vt ex morbo planè conualeſceres, vt ex infirmo validus fieres, vt amiſſam valetudinem recuperares, vt in ſtatum valetudinis priſtinum, optimum, reſtitueretis.

Valetudo aduerſa ex gula.

Sicknes of ſurfeting and gluttonie.

Non facilè conualeſcunt, quibus neque quantùm comedant, neque quid comedant curæ eſt, qui quod comedant, neque quantum, neque quale ſit, animaduertunt: quibus omnem in cibis modum, omne iudicium, omnem prorſus rationem gula eripuit: quibus neque modus edendi, neque vlla deligendi cibi ratio eſt: qui & plus appetunt in menſa, quàm ſatis eſt, & ex eo genere, quod obſit.

Valetudo nondum confirmata.

Not perfectly whole, my ſtrength not fully recouered.

Nondum vires colligere potui: nondum ſatis firmo ſum corpore: nondum priſtina mihi reſtituta valetudo eſt: confirmatus à morbo nondum omninò ſum:

non planè conualui:quas morbus mihi vires ademit, abſtulit, eripuit, nondum prorſus recuperaui, recepi, reuocaui: priſtinam valetudinem nondum ſatis mihi videor aſſecutus:paulò adhuc deterius, aliquantò deterius, quàm ſolebam, valeo: non vt ſolebam, valeo: minus firmiter,minus bellè:nondum vtor priſtina valetudine: priſtinas vires quadam ex parte deſidero.

Varro doctior,quàm eloquentior.

Varro better learned then eloquent.

Scripta Varronis ex doctrina potiùs,quàm eloquẽtia, magis ob doctrinam, quàm eloquentiam, rerum cauſa, non verborum, probabantur ab omnibus: libros Varronis,ea quę Varro chartis mandabat,literis committebat, componebat, ſcribebat, literis perſequebatur, literis explicabat, literarum monimentis tradebat,prodebat,mandabat,committebat,commẽdabat, probabant omnes, rerum fructu potiùs, quàm ſpecie verborum adducti.

Vaſtare.

To ſpoile,waſt and deſtroy.

Prouinciam diripuit,vaſtauit,deprædatus eſt,rapinis exinaniuit,exhauſit: prædas egit è prouincia.

Vehementer.

Vehemently,or very much and greatly.

Valdè, maximè, magnopere, maximopere, vehementer,admodum,etiam atque etiam,non mediocriter,non parum,in primis,præcipuè.

Velim te animum meum videre.

I would you ſaw my harte or goodwill.

Vellem,

Vellem, quæ ſit in te animi propenſio, poſſes inſpicere: cuperem ſenſus tibi patêre intimos animi mei: quàm vellem, quo modo animatus erga te ſim, oculis cernere tibi liceret: nihil mihi eſſet optatius, quàm vt eas mentis meæ partes quæ oculos latent, ab oculis remotę ſunt, oculis minimè patêt, poſſes introſpicere.

Velim ſcire quo animo in me ſint homines.

I would know how men are affected toward me, or what good will is borne me.

Scire velim, quo quiſque in me animo ſit, vt quiſque ſit erga me animatus, affectus, qui cuiuſq; ſit erga me animus, qui ſenſus, quæ voluntas: ſenſum cuiuſque noſſe, tenere, callere velim, patêre mihi velim.

Velim noſtras à te hiſtorias conſcribi.

I would haue you wright a storie of our time and doinges.

Velim à te noſtrorum temporum conſilia atque euentus literis mandari, res noſtras monimētis commendari tuis: noſtrum nomen tuis illuſtrari & celebrari ſcriptis, tuis ornari ſcriptis valdè velim: gloriæ ſempiternæ commendari per te cupio.

Velim abs te amari.

I deſire to be in your loue and fauour.

Ne patiaris me partem amoris tui minimam ferre, noli committere vt partem amoris tui minimam capiam, vt exiguum ab amore tuo fructum feram, colligam, ſumam, percipiam: fructum amoris tui velis eſſe

non exiguum,non vulgarem,non mediocrem.

Veneti potentes & diuites.

The Venetians mightie and riche.

Veneti opibus & potentia valent, pollent, vigent, præstant,excellunt,affluunt diuitijs,opibus vigent:neque diuitias,neque opes desiderant.

Venti à portu repulerunt.

We ware driuen from the hauen by the winde, or the winde kept vs from the hauen.

Portum, reflante vento tenere non potuimus:portum inire conantes aduersi venti vis repulit ac reiecit: ne portum obtinere licuerit, cum omni studio conaremur,ventus effecit,venti vis portu exclusit:per venti vim portum ingredi,inire,obtinere,assequi non licuit:venti vis aduersa portu nos exclusit,prohibuit,arcuit,amouit:reiecti sumus à portu refläte vento: portum ventus eripuit,summouit nos vẽtus à portu:portum inire conantes repulit ventus.

Verbis impugnata dignitas.

He sought as much as he could for your discredit,or defacing of your worship.

Acerba nimis aduersus tuam dignitatem eius oratio fuit, inhonestè admodum de te loquutus est, grauissimè tuam dignitatem oppugnauit: loquutus est in te sic,vt acerbius aut inhonestius non potuerit.

Verbositas,non est eloquentia.

Bablinge is not eloquence.

Si,cuius est prolixior, longior, vberior oratio,si qui diutius

diutius loquitur,qui longiorem sermonem habet,qui plura verba facit,is eloquentiã possidet,si ei,qui verbosior est, qui plura effundit verba, laus eloquentiæ debetur,si verborum in copia sita est elegantia:næ tu omnium qui viuunt,eloquentissimus es,omnes mortales eloquentia anteis.

Vereor vt sustineas spem de tuis studijs conceptam.

I doubt howe you vvill answere to the hope cõceiued of your studies, I feare you will not proue such a student, as men thinke and looke for.

Vereor,ne quam de studijs expectationem concitasti,hanc sustinere,ac tueri non possis: vereor,vt expectationi tua studia respõdeant,ne tua studia expectationi respondeant,ne cum hominũ opinione non consentiant, ne alium, atque expectatur, exitum habeant,ne qui expectatur,fructum non pariant.

Verisimile.

Likely or reasonable.

Rationi consentaneum est,cum ratione consentit, consentaneum est,simile veri,credibile, non alienum à ratione, cum ratione congruens : ratio postulat, vt credatur: est,cur credatur,verum putetur : verisimilitudinem,speciem,formam,imaginem, præ se fert, ostendit : non discrepat, non dissentit, non procul abest à ratione.

Veritas pluris, quàm amicitia faciẽda.

Truth to be regarded before friendship.

Veritati plus, quàm amicitiæ tribuo: maiorem habeo veritatis, quàm amicitiæ rationē: pluris est apud me veritas, quàm amicitia: amicitiæ veritatem antepono: locum apud me honestiorem veritas obtinet quàm amicitia: apud me cedit amicitia veritati: nihil amicitiæ largior: nihil veritati nego.

Versari in re leui.

To be occupied in things of little prise, or to follow a trade of little gaynes.

Tenui mercede, leui quæstu, exiguo lucro das operam in scriptura, operam nauas ijs, qui vectigalia tractāt, vectigalibus pręsunt. Vide, Studere reb9 leuibus.

Via obstructa.

The way is forbid, or barred vp.

Transitus interdictus est: interclusa via est, non patet aditus.

Vide ne quid honori tuo discedat.

Take heede least you cracke your credite: do your indeuour that your honour, or good name and report be not stayned.

Da operam diligenter, enitere, conare omni studio, contende omnibus viribus, intende omnes neruos, incumbe toto pectore, elabora quantum in te est, studium adhibe quantum potes, confer huc omnia tua studia, omnem operam & industriam: age hoc quàm diligenter potes, ne quam tuus honor iacturā faciat, ne quod ferat detrimentum, ne quam iniuriam accipiat, ne qua labe inficiatur, ne quam labem aut maculam suscipiat, contrahat.

Vim

Vim à te non valeo auertere.

I can not vvarrant you from all violence, force, or resistance: or I can not promise you a cleare passage.

Ego tibi à vi nihil præstare possum: vim tibi nullam factum iri, allatum iri, oblatum iri, pro certo non polliceor, planè non affirmo: tutum à vi te futurum, ne pro certo existimes: nullam fore vim, exploratè, asseueranter, certò promittere non audeo: ea te cura prorsus non libero, non eximo, non adimo, non aufero: ne quando tibi vis inferatur vlla, ne quam aliquando vim feras, sustineas, patiare, sentias, experiaris, ne quid aliquando per vim patiaris.

Vindictæ omissio.

A remission of reuenge.

Vltionis omne libenter consilium abijcio, depono, omitto: omnem acceptæ iniuriæ memoriam ex animo deleo: de vltione nihil planè cogito, animus meus vltionem non spectat, abduco animum à vindicta.

Violare patriam aut parentem scelus turpissimum.

The betraying of thine owne countrey, or father, is the most shamefullest deede that may be.

Nullum est grauius piaculum, quàm patriam, aut parentem violare, quàm patriæ, aut parenti vim afferre, inferre, manus afferre, iniuriam facere, inferre.

Vir bonus conſtans eſt.

A good or true man is conſtant.

Vir bonus, vt ſententiã mutet, non facilè adducitur, impetrare à ſeipſo nullo modo poteſt: bono viro ſenſum rectum deponere difficile eſt, magni negotij eſt: vir bonus in ſententia firmiſſimè cõſtat, vir bonus à recta ſententia deſciſcere vix poteſt, vt ſententiam mutet non facilè adducitur. Vide, Mutas ſententiam.

Virtus neglecta.

Vertue neglected.

Probitas, integritas, probati mores, vita illa, quæ cum virtute traducitur, à paucis hodie probatur, colitur, amatur: pauci ſunt, qui probitate delectentur, probitatem colant, ament, ſequantur: parui fit hodiè probitas & morum integritas: qui ſuum ſtudium in probitate ponant, pauci ſunt, reperiuntur, numerantur, paucoſque inuenias.

Virtus præmijs cumulata.

Vertue loden with rewardes.

Magna ſunt recta agentibus propoſita præmia: omnes, qui ſeſe in recta viuendi ratione exercent, magna merces manet: fructum rectè factorum viri boni vberrimum, ac præſtantiſſimum ferent: præclaram honeſtamq; vitam res vtiliſſimæ conſequuntur: vitæ laudabiliter actæ, cum virtute traductæ, præmium eſt decus, & earum rerum copia, quas qui poſſidet, optimè cum illo agi exiſtimatur.

Virtus egregia.

A noble minde and vertuous.

Tua virtute & magnitudine animi nihil eſt nobilius: ſingularis in te laus ob tuam virtutem, atque animi præſtantiam confertur: maiorem aut virtutis, aut præſtantis animi opinionem apud homines, plus famæ, conſequutus eſt nemo.

Virtus magis honore afficienda quàm diuitiæ.

Vertue more to be honored then riches.

Placet mihi, probatur, valdè ſatisfacit mos & conſuetudo tua: laudem tuæ conſuetudini tribuo, quòd ea colas, verearis, obſerues, in honore habeas, honore, obſeruantia, ſtudio proſequaris, honore afficias, obſeruantia colas, quòd ijs honorem habeas, tribuas, præſtes, obſeruantiam ac ſtudium præſtes, qui virtute potiùs, quàm diuitijs abundant, excellunt, eminent, valent, qui ſunt à virtute paratiores, quàm diuitijs, quos virtus potiùs, quàm diuitiæ commendat, qui virtutem magis quàm fortunæ bona poſſident.

Virtus extollit ignobiles.

Vertue ſetteth vp men of lowe degree.

Multos infimæ conditionis, humillimæ ſortis, obſcuri loci, nulla parentum, aut maiorum laude commendatos, obſcuro loco natos, ignobili, obſcuro, infimo genere æditos extulit atq; illuſtrauit virtus: multos generis humilitate iacentes virtus erexit: nobilitantur atque honeſtantur virtute multi, genere ignobiles & obſcuri.

Virtus florens oppreſſa inimicorum iniuria.

Flourishing vertue ouerthrowen by the iniurie of ennemies.

Quo tempore florere debeas, debuit illustrior esse tua laus, altius ascēdere, plus consequi dignitatis, maiorem obtinere existimationē, præstantiore esse loco, plus habere authoritatis, plus possidere laudis, honestior esse, clarior esse, maior ac præstantior haberi debuisti: te tuorum inimicorum afflixit iniuria, perdidit, euertit omnibus fortunis, oppressit, ad exitium detrusit, impulit, non modò è numero viuentium, sed planè infra mortuorum conditionem amandauit.

Virtus vtilis in omni fortuna.

Vertue profitable in all fortunes, or what so euer happeneth.

In vtraque fortuna maximus ex virtute fructus capitur, percipitur, colligitur: virtus tum in aduersa, tum in secunda fortuna vberrimos fructus affert: magnas vtilitates in omni fortuna parit virtus: aduersis pariter & secundis in rebus commoda proficiscuntur ex virtute multa: semper vtilis & fructuosa virtus est: in omni tempore iuuamur à virtute, imbecilli confirmamur, iacentes & afflicti excitamur, subleuamur, erigimur: ecquando non vtilis virtus est? ecquæ vtilitas cum virtutis vtilitate conferenda?

Virtus laboribus parta.

Vertue purchased with great labour.

Tuis laboribus, ac vigilijs virtutem tibi peperisti, comparasti, parasti, consequutus es, adeptus: tui tibi labores & vigiliæ virtutem pepererunt: magnis laboribus & vigilijs cōsequutus es, vt virtutem possideas,

vt virtute floreas, valeas, polleas, excellas, antecellas, præstes, fruaris: tuam virtuté tuis laboribus & vigilijs referre debes acceptam: tibi ipsi, tuisque laboribus tuam virtutem debes: nō hoc virtutis in te esset, istam virtutem non haberes, non teneres, non possideres, nisi labores grauissimos & suscepisses, & pertulisses.

Virtute, immunis.

Made free, or exempt from payment of taxes, tributs or subsidies for his vertues sake.

Virtute sua consequutus est, nihil vt publicè penderet, fructum vt nullum publicè penderet, vt vectigalis non esset, vt esset immunis, vt ex eorū numero, qui publicè aliquid pendunt, eximeretur, nihil vt publicè solueret, vt esset expers eorum onerum, quæ publicè imponuntur, vt nullam pecuniam in commune conferret, vt publicis oneribus vacaret, tributarius vt non esset, tributum vt nullum conferret.

Virtute contra fortunam munitus.

Made stronge or fenced by vertue against fortune.

Fortunæ vim tuæ virtutis amplitudo vincit: munijsti te virtute contra fortunam: septus es virtutis præsidijs aduersus impetus fortunæ: nihil tibi nocere, obesse, incommodare, cum virtute viuenti, virtutem colēti, fortuna potest: tutus es à fortunæ iniurijs: securam vitam ducere tibi licet, quia cum virtute viuis: non tibi varij casus impēdent humanæ vitæ, qui virtute excellas, quem virtus tueatur, regat, protegat, muniat.

Virtute vacuum fortuna facile profligat.

Fortune easly conquereth the cowarde, or the least blast of aduersitie maketh the hartlesse man to flie, vertue is the best defence against aduersitie.

Cui comes virtus non est, is animo facilè cadit à fortuna percussus: ictus fortunæ ferre non potest, qui tectus virtute non est, qui virtute munitus non est, qui se virtutis armis nō tuetur: sine virtute infirmi sumus, malè muniti, aperti aduersus fortunæ vim: facilè vincimur à fortuna, virtutis præsidio destituti, absente virtute, nisi adsunt virtutis opes.

Virtuti aliquando honores debiti tribuentur.

Time will come when vertue shall haue his iust honor and reward.

Veniet tempus, veniet illa dies, erit tempus, erit aliquando illa dies, illucescet aliquando illa dies, diem aliquando illum Sol afferet mortalibus, erit aliquando, cùm secùs virtuti tribuatur honor, cùm virtuti honor habeatur, cùm virtus colatur, tanti æstimetur, quanti est, in honore sit: cùm virtuti honores debiti persoluantur, deferatur plurimum: cùm virtus magna in primis honestaque sit, honestum locum habeat, sit inter ea, quæ prima ducuntur.

Virtutis communicatio.

The bestowing of vertue.

Qui virtutem tribuit,præbet,largitur,oſtendit,cō municat, is tantum affert beneficium, quantum eſſe præterea nullum poteſt.

Virtutis non pretij cauſa.

For vertue ſake and not for rewarde.

Agis hoc non præmij ſpe commotus,ſed humanitate adductus,benignitate impulſus,ſtudio liberalitatis incitatus: non te ad hanc rem vtilitatis,aut præmij ſpes,verùm te adduxit, impulit, incitauit humanitas, benignitas,naturæ facilitas,naturæ tuæ ad humanitatem,benignitatem propēſio,inductio: dediſti hoc humanitati tuæ,non præmijs: agnoſco tuam humanitatem:debet hoc humanitati tuæ acceptum referri: fructus hic eſt humanitatis tuæ.

Virtutis honos.

The iuſt rewarde of vertue.

Erit aliquando illa dies,lucebit illa dies,veniet illud tempus,lucem illam aliquando videbimus, quæ virtutem illuſtret:erit aliquando, cùm virtuti honos habeatur,ſuus tribuatur honos,debita merces perſoluatur, locus honeſtus vbique ſit.

Virtuti ſubiecta omnia.

All thinges ſubiect to vertue.

Omnia ſunt ſub poteſtate ac ditione virtutis, rerū omniū regina virtus eſt, dominatur, vna regnat, ſummum ius habet,omnia regit, virtuti cuncta parent,cedunt,ſubiecta ſunt humana omnia : virtus valet ad omnia,imperiū habet in omnes res,omnia tenet,poſſidet,iure ac poteſtate ſua complectitur: quid eſt, quod

assequi virtus non possit?

Vita beata in virtute posita.

The happie life consisteth in vertue.

Benè sentire, rectéq; facere, satis est ad benè beatéque viuendum: vnam qui colit probitatem, ei deesse ad fœlicitatem nihil potest, is ad fœlicitatē nihil desiderat, nihil requirit: quicunque rationem ducem in vita sequitur, ei ad fœlicitatē ampla, maximeq; certa patet via: probitatem qui possidet, simul is possidet summū bonum, nihil ad fœlicitatem præterea requirit: boni mores, & honestæ rationes fœlicitatem pariunt: fœlicitas integritate comparatur: si quis in colenda probitate totus est, fœliciter admodum, ac beatissimè cum illo agitur.

Vita carissima post honorem.

After honor life is dearest, or, onely honor dearer then life.

Omnium rerum, honore excepto, prima esse, carissima, antiquissima vita debet: secundū honorem, post honorem, honore excepto, si honorem exceperis, nihil esse debet vita prius, potius, carius, antiquius: primas sibi partes post honorem, vita vendicat: primæ partes vitæ debentur, honore tamen excepto.

Vita & honor curanda.

Life and worship are of like to be regarded.

Saluti pariter & honori consulendum: ducenda simul ratio est & salutis, & dignitatis: nō dignitatē magis, quàm salutem spectare debemus: salutis ratio cum dignitatis ratione coniungenda: quærenda, amanda,

expetenda

expetenda ſine ſalute dignitas non eſt, non eſt à dignitate vita ſeiungenda: decet ſtudere dignitati, cum eo tamen ne ſtudium vitæ negligatur.

Vitæ genus optimum inſtituiſti.

Thou haſt taken the beſt trade of liſe.

Exordium vitæ præclarum feciſti, egregio vitam principio iniuiſti, optimum curſum cœpiſti, rationem præclaram inſtituiſti, optimam partem elegiſti, ſapienter vitam inſtituiſti, cùm te Deo addixiſti. Vide, Sanum iudicium.

Vitæ faſtidium.

A wearineſſe of liſe.

Vitæ me tædet, vitam faſtidio, vitam mihi acerbam puto, acerbè viuo: moleſta, grauis, amara prorſus mihi vita eſt: ægerrimè, moleſtiſſimè, prorſus miſerè viuo, quando mihi mors eum eripuit, ex quo mea gaudia, meæ lætitiæ manabant omnes.

Vitam miſeram mors præclara conſecuta.

A noble death followeth his paynfull and vnhappy liſe.

Vt miſerè vixit, ita perijt honeſtè, miſerrimam vitam mors præclara terminauit: vitam infœlicem egregio mortis genere cõcluſit: acerbitates vitæ multas vna peregregiæ mortis hora compenſauit: vitam vixit infœlicem, præclaram verò mortem obijt: miſeriam in vita ſuſtinuit, decus in morte tulit.

Vita quieta.

A quiet life.

Præstabo tibi otium, quietam vitam, tranquillam, facilem, alienam ab omni cura, vacuam omni cura, omnium expertem perturbationum, ab omni molestia remotam, seiunctam, separatam, segregatam, disiunctam, nullis rerum humanarum fluctibus iactatam: efficiam, vt quietè viuas, vt quietam vitam ducas, facilem vt habeas, & expeditum vitæ cursum, tranquillè prorsus vt agas, vt omni molestia vaces, vt ocio fruaris iucundissimo, commodissimo, vberrimo, vt ociosè viuas.

Vita rustica grata.

The country life is pleasaunt.

Otium, & quies rustica mirum in modum me delectat, oblectat, recreat, reficit, afficit, capit, delectationem mihi affert, voluptatem, iucunditatem, hilaritatem, gaudium, lætitiam: delectationi est, delectatione me afficit: rus animo meo iucundissimum est: rure, rusticoq; ocio delector, mirè pascor: delectationem, voluptatem, iucunditatem ex rure capio, percipio, suscipio: ocio illo, atque illa quiete, quem rustica parit habitatio, libentissimè fruor: si vlla re, ocio capior & quiete rustica: animus meus voluptate perfunditur, expletur ex ocio rustico.

Vitijs deditus.

Giuen to vice and wickednes.

Nunquam à vitijs animum, mentem, cogitationem abducis: nunquam de vitijs non cogitas: hærent in animo tua studia vitiorum: nunquam tua mens ab

improbis cogitationibus diſcedit, abducitur, auelli-
tur: vitia ſemper cogitat animus tuus.

Viuis mecum, nec animum meum perſpectum habes.

You liue with me, yet you knowe not all my hart: or yet I am vnknowen vnto you in many pointes.

Me vteris aſſiduè: aſſiduus tibi mecum intercedit vſus: conſuetudo inter nos aſſidua eſt: veruntamen planè non tenes animum meum: prorſus non calles mea conſilia, non omninò mei tibi ſenſus patent, non penitùs, non perfectè, non ex omni parte, non vſquequaque.

Vixi vitam diuturnam.

I haue liued a long time.

Satis diu vixi, ætatis ſatis vixi, vitæ ſatisfeci ætate, ſatis longè vitam produxi, ſatis longum vitæ ſpatium peregi, non me pœnitet, quantum vixerim: curſum vitæ minimè breuem peregi, vixi vitam ſatis diuturnam, hoc vitæ ſpatio contentus eſſe poſſum, non moriar immaturus, non auellar immaturus è vita.

Vna bonorum ſententia.

All good men agree in one mind and opinion.

Vnus omnium bonorum eſt ſenſus, idem omnibus probatur, eodem concurrunt omnium ſententiæ. ſequuntur idem omnes, ſpectant, probant, opinions

tuentur, eadem eſt omnium ſine vlla varietate opinio, opinionum nulla varietas.

Voluptas ex liberorum virtute,

A comfort in godly children.

Magnam voluptatem è moribus filiorum pater ſuſcipit, magna voluptate patrem afficiunt benè morati liberi, magnæ voluptati ſunt parenti qui moribus excellunt filij, capit ex honeſtis filiorum moribus voluptatem ſummam, & lætitiam pater.

Voluptas eſca malorum.

Pleaſure the bait or inſtrument to all euill, or wickednes.

Voluptas ad ea, quæ minùs decent, homines allicit: hominibus malorum eſca voluptas eſt: multi, ducem ſequentes voluptatem, grauiter offendunt: duce voluptate multi errant miſerrimè: illecti voluptate, dulcedine voluptatis, blanditijs voluptatum infortunia ſubeunt, calamitates adeunt, in miſerias incurrunt: voluptate, tanquam dulci veneno, homines pereunt: iucundam ac dulcem voluptatum conſuetudinem triſtis admodum & amarus conſequitur euentus: ſæpè voluptatem excipit dolor: voluptas dolore terminatur: voluptatis exitus doloris initium eſt.

Voluptate afficere.

To delight.

Tuæ literæ, quòd facilè intellexerim, ei periucundæ fuerunt, ſummam voluptatem, lætitiam, gaudium, iucunditatem attulerunt: ſumma eum voluptate tuæ literæ affecerunt, extulerunt, perfuderunt.

Vrbs Pompeianarum partium fuit.

The citie followed Pompey, or tooke part with Pompey.

Vniuersa ciuitas ducem Pompeium sequebatur, Pompeio regendam se dederat: ad Pompeij ductum applicauerant se, contulerant se, adiunxerant se vires omnes ciuitatis.

Vtar fratre tuo.

I will vse your brother, or follow his aduise and counsell.

Vtar ad omnia tuo fratre, vtar opera tui fratris in omni re: confugiam ad fratrem tuum, si quid erit agendum: fratri tuo committam, ad fratrem tuum referam, in fratrem tuum reijciam, eius consilium petam, operam exposcam. Vide, Per fratrem tuum agam.

Vt filius mihi charus es.

Thou art as deare vnto me, as my sonne.

Optimè tibi cupio, sic inquam, vt filio meo: tua causa cupio, quantum filij mei causa volo: cupio tibi secunda omnia, non minùs ac filio: æquè tibi faueo, ac filio meo: animatus in te sum, vt in filium: quo in filium, eodem erga te animo sum.

Vtile tibi erit.

It shall be profitable for thee.

Constitutum iter si suscipies, emolumenti, vtilitatis, commodi plurimum, præstantem fructum capies, sumes, colliges: valdè erit è re tua, valdè in rem tuam

tuis rationibus vehementer conducet : in eo tibi maximè consoletur : vtilitas maxima consequetur:vehementer expediet,proderit,fructuosum erit, cum fructu, vtilitate,commodo, emolumento, bono rerum tuarum.

Vt maiores tuos sequaris, operam virtuti da.

Seeke after vertue that you may follow the steppes of your auncestors.

Si tuorum maiorum laudibus respondere vis, si maiores tuos referre vis, cupis imitari, si te dignum maioribus tuis præbere studes,vt ad virtutem,in virtutem incumbas,ad virtutem studia tua conferas, opus est : nauari à te operam virtuti oportet : debes virtutem colere, tui muneris, tui officij, tuarum partium est:non potes non virtuti operam dare: non licet tibi virtutem negligere:hoc ad te pertinet,in te cõuenit,à te postulatur,atque adeò,tãquam debita res exigitur.

Vtrumque vici,

I ouercame them both.

Vtrumque facilè fregi, atque abieci, nullo negotio retudi: victoriam ex vtroque tuli: victoria sum potitus : vterque mihi victus cessit.

Vulneratus,

Wounded.

In illa pugna, illo certamine grauiter vulneratus est,perculsus est : graue vulnus accepit,tulit : plagam accepit,graui vulnere est affectus.

Vulnus

Vulnus inſanabile.

An vncurable wound.

Futurum non ſpero, vt ex hoc vulnere conualeſcat: eiuſmodi vulnus eſt, vt ſanari non poſſit, vt ſalus deſperanda videatur, vt ſpes ſalutis nulla ſuperſit, vt medicinæ non ſit locus.

Vultus diſſentit ab animo.

A diſſembling face, the countenaunce is no ſure token of the inward diſpoſition of the minde.

Fallit vultus, mentitur, fraudem facit, in fraudem inducit, decipit: diſſentit animus à vultu: non conuenit animus cum vultu, index animi verus non eſt vultus, falſa vultus imagine, ficta ſpecie diſſimulatur animus: aliud vultus præ ſe fert, aliud animus cælat, occultat, teget: aliud animus latet: teget animum vultus: mendax vultus eſt, latet animus in vultu: quaſi velo aut inuolucro, animus obtegitur, atque obtenditur: veram imaginem animi vultus non præfert: ſenſus animi cum ſpecie vultus minimè congruit. Vide, Aliud ſentit, aliud &c.

Vxor fœcunda.

A frutefull wife, a mother of many children.

Multos ex ea filios genuit, ſuſcepit, tulit: complures ex ea filij nati ſunt: filios ei peperit multos: ita fœcunda vxore vſus eſt, vt filijs auctus ſit multis: vt filiorum multitudine abundauerit.

FINIS.

A TABLE TO FIND OVT LATINE FOR ANY of these English titles by figures following, which signifie the page of euery leafe.

A

an

B

E

G

I

how

P

a Quiet

V

VV

ENDE.



e. 17
30
plate.

54
them
ou. 115
1:150.